

JUAN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA


3
CCCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

13

THEOLOGICAL
MARIAN

BT613
J3
c.1

008773



1080021012

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS




U A N L
THEOLOGIA MARIANA

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS





THEOLOGIA MARIANA

JUXTA PROBATISSIMOS AUCTORES CONCINNATA

AD NORMAM

P. SEDLMAYR, ORDINIS SANCTI BENEDICTI

IN SUA SCHOLASTICA MARIANA

CURA ET OPERE

C. H. T. JAMAR

AUCTORIS LIBRI CUI TITULUS :

MARIE, MÈRE DE JÉSUS

Audite, qui ingredi cupitis regnum Dei:
Virginem Mariam honorate, et inveniatis
vitam et salutem perpetuam
(S. BONAV. *Psall. B. Virg.*)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN

Biblioteca Velasco y Jellez

LOVANII

APUD CAROLUM FONTEYN, BIBLIOPOLAM

Via Marengo, 22

(Antea via Bruxellensi, 6)


1896



Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

45371

BT613
J3



SANCTISSIMAE ET IMMACULATAE VIRGINI

MARIAE

GLORIOSAE MATRI JESU

AUGUSTAE COREDEMPTRICI

POTENTI ET BENIGNAE REGINAE

HOC MODICUM VOLUMEN

OFFERIMUS, DEDICAMUS AC CONSECRAMUS

IN TESTIMONIUM


SUMMAE NOSTRAE VENERATIONIS

INCONCUSSAE NOSTRAE FIDUCIAE

FILIALIS NOSTRAE DILECTIONIS


UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



FONDERIA
VALDEZ Y TELLEZ

008773



Imprimatur 12 Junii 1896

H. L. DE CLERCK

VIC. GEN.

EDITOR LECTORI BENEVOLO S. D.

Inter eos Christifideles qui beatissimam Virginem filiali cultu specialiter prosequuntur, non multi sunt apud quos non pervenerit nomen istius pii sacerdotis, cujus insigne opus, sub titulo : « *Marie Mère de Jésus*, par l'abbé C. H. T. Jamar, » anno 1872, in Belgio primum evulgatum est.

Peritissimi rerum theologiarum viri librum eximiiis laudibus exceperunt ; nec defuerunt qui illum inter caeteros ejusdem materiae libros praestantissimum et longe optimum haberent : in quo nimirum quidquid efficacius inveniri possit, cum ad promovendam tum ad fovendam erga Deiparam devotionem, sive ex Litteris sacris, sive ex exquisitissimis Patrum, permultorumque Sanctorum scriptis, ingeniosa ac diligenti cura fuerit congestum (1).

(1) « Parmi les productions littéraires d'un mérite sérieux traitant de la sainte Vierge, celle de M. l'Abbé JAMAR est appelée à occuper une place d'élite. Pour notre part, nous n'en connaissons aucune qui soit aussi complète, et qui embrasse une aussi grande richesse de documents et une si heureuse variété de matières. »

Dr Van Weddingen, *Revue cath. de Louvain*.

« L'Abbé JAMAR a élevé un monument à la très sainte Vierge. Nous disons monument, car son livre, *Marie, Mère de Jésus*, en a les proportions et la solidité. Œuvre tout à fait remarquable, qui nous paraît être le pendant de la *Vie de Jésus-Christ*, par LUDOLPHE LE CHARTREUX^t. C'est le plus bel éloge que nous puissions en faire. »

Bibliogr. catholique de Paris.

Nec tamen satis visum est R^{do} D. Jamar hoc peculiaris sui amoris et grati erga beneficam Virginem animi documentum protulisse. Ratus enim pietatis sensus, ut firmi permaneant, niti debere solido doctrinae fundamento, aliud in lucem opus edere statuit in quo, scholastica methodo et caeterarum ad instar quaestionum quae ad Theologiam pertinent, ea quae ad personam, vel historiam, aut ad cultum augustissimae Christi Matris spectant, nitide et argumentative, ut aiunt, tractarentur.

Cui consilio nemo non assentiet, qui doctissimum scientiarum religiosarum principem Suarez audierit sic loquentem : « *Ego, post ipsius Dei et Christi cognitionem, nullam aut utiliorem, aut viro theologo digniorem existimo quam quae est de beata Virgine; neque intelligo cur de gratia angelorum deque illorum meritis ac statu viae tam accurate theologo disputent; de angelorum vero Regina ejusque dignitate longe majori diligentia disserendum non sit, cum haec doctrina et per se dignior ac jucundior, et ad pietatem magis sit accommodata.* »

Mirum sane fuisset si hucusque inter tot in honorem B. M. V. opera nihil hujusmodi fuisset attentatum; et equidem aliquot, in anticribus saeculis, theologiae marianae memorantur. Ex quibus aliae sunt, ob nimiam raritatem, inventu difficiles, aliae autem, seu ob grandiore voluminum molem aegre tractabiles, seu ob immoderatam laxitatem fastidiosae, intactae plerumque et oblivione

extinctae in pulverulentis bibliothecarum latebris jacent.

Una tamen inter eas digna visa fuit quae meliorem sortem evinceret, *Scholastica* scilicet *Mariana* quam, saeculo proxime elapso, P. *Sedlmayr*, Ordinis S^{ti} Benedicti, vir praeclara eruditione ornatus, publici juris fecit.

Hanc prae oculis habuit praesentis operis auctor, hujusque vestigiis sedulo insistens, sibi id praecipue conandum esse censuit, ut pristini libri in brevior formam coarctati et secundis curis quodammodo innovati, substantia tantum et medulla lecturis offerretur.

Quod si spes sua eum non fallat, in hac *Theologia Mariana* divini verbi praecones invenient fontem unde abunde hauriant; invenient et seminariorum levitae, qui se ad cultum Deiparae propagandum accingunt, materiam et doctrina securam et varietate jucundam.

Quod ut fiat ad majorem Dei gloriam et ad ardentior erga beatissimam Virginem devotionem humillime precatur

EDITOR.

Theologia Mariana, uno volumine 200 circiter paginarum constans, venalis prostabit pretio 3 franc. gal. Lovanii, apud Carolum Fonteyn, editorem.

Le livre de l'abbé Jamar est digne de recommandation. Il rendra de signalés services aux prêtres, tant pour la méditation que pour la prédication; car ils y trouveront un exposé substantiel et lucide des bases théologiques du culte de la Mère de Dieu. La doctrine, toujours irréprochable et conforme à l'enseignement de l'Église, est puisée aux meilleures sources. La méthode adoptée par l'auteur se distingue par l'ordre, la clarté et la concision. La forme syllogistique donnée aux arguments ne contribue pas peu à préciser les concepts, à faciliter l'intelligence des thèses, à apprécier la valeur théologique des conclusions. Nous faisons des vœux sincères pour le succès de l'ouvrage, que nous recommandons spécialement aux séminaristes. Il remplacera avantageusement des livres plus volumineux et difficiles à rencontrer.

A. DUPONT, Chanoine,
Professeur à l'Université.

Louvain, le 8 Mars 1896.


DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PARS PRIMA

DE BEATA VIRGINE

PRO STATU CHRISTUM ANTECEDENTE





UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO PRIMA

PROOEMIALIS THEOLOGIAE MARIANAE

ARTICULUS I

*Utrum Theologia Mariana sit Ecclesiae utilis
ac necessaria?*

Respondetur : Theologia Mariana est Ecclesiae utilis et necessaria.

Probatur, primo, testimonio eximii doctoris SUAREZ (*In 3 part. S. THOMAE, quaest. 8, art. 27*), sic loquentis : « Ego, post ipsius Dei et Christi cognitionem, nullam, aut utiliore, aut viro theologo digniorem existimo, quam quae est de beata Virgine; neque intelligo cur de gratia angelorum, deque illorum meritis, ac statu viae tam accurate theologi disputent : de angelorum vero Regina, ejusque dignitate, longe majori diligentia disserendum non sit; cum haec doctrina, et per se dignior, ac jucundior, et ad pietatem magis sit accommodata. » — (1)

Probatur, secundo, ratione : quia Theologia, ut habet S. AUGUSTINUS (*De Trinit. lib. 14, cap. 1*), universim est

(1) Unde etiam S. THOMAS, theologorum princeps, ex professo agit de Deipara Virgine, *part. 3, quaest. 27 et seq. suae Summae theol.*, quam in scholis praelegendam praescribit URBANUS IV (*in Extravag. Laudabilis Deus*).

propter fidem *gignendam, nutriendam ac defendendam*; et inde cognoscitur ejus utilitas ac necessitas. Ergo quia fides maxime etiam circa Deiparam Virginem versatur, utpote quam pleraeque saltem haereses tum directe tum indirecte impugnant et ab ipsa impugnantur (juxta illud dictum Ecclesiae: *Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo*), ideo Theologia Mariana vere utilis ac necessaria est Ecclesiae.

Confirmatur 1^o: Theologia tradit regulas connexionum et consequentiarum, id est, ostendit quid sit consequens ex fide, quid ei repugnans; et sic per eam cognoscimus quod, quia Christus est *verus Deus*, attestante Scriptura (1 JOAN. V, 20: *Hic est verus Deus*), ipsa quoque sit vera Mater Dei. Item quod, quia Christus est simul *verus homo*, nominante ipsum Scriptura *filium hominis* (MATTH. X, 23), ideo ipsa quoque sit Mater veri hominis. Ergo, quia hae et similes consequentiae regulantur ex fide circa Deiparam Virginem, ideo Theologia Mariana ad eas debite cognoscendas est utilis et necessaria.

Confirmatur 2^o: beatae Virgini conveniunt elogia singularis eminentiae, et specialissimae praerogativae quae debite cognosci non possunt sine theologia. Sunt enim pleraeque nonnisi mediate revelata, quatenus ex revelatis inferibilia. Sic ex scripturistica veritate « *De qua natus est Jesus* (MATTH. I, 16), » infertur a Patribus summa beatae Virginis dignitas, plenitudo gratiae, immunitas a peccato, perpetua virginitas, et ejusmodi; quae illationes, ut sine errore ac debite fiant, Theologia, quae dicitur esse habitus conclusionum ex revelatis procedens, est necessaria; et per consequens, Theologia Mariana vere est utilis ac necessaria.

ARTICULUS II

Utrum Theologia Mariana sit argumentativa ex loco verbi scripti?

Nota. — Theologia per hoc a fide differt, quod fides sit assensus immediatus veritati revelatae praestitus; Theologia vero sit assensus mediatu, deductivus unius ex alio, seu habitus deducens unum ex alio. Ideo quaestio movetur ex quibus locis, seu principiis, Theologia suas conclusiones deducat; et in specie, utrum Theologia Mariana sit deductiva conclusionum etiam ex verbo Dei scripto, quod in sacris Bibliis continetur, et alioquin pro primo loco theologico haberi solet. Ad quod

Respondetur: Theologia Mariana est vere argumentativa ex loco verbi divini scripti.

Probatur, primo, ex auctoritate sanctorum Doctorum, qui communiter beatam Virginem depraedicant tamquam obiectum, contentum et finem Scripturae sacrae. Ex quibus sanctus VINCENTIUS FERRERIUS (*De Concept. Virg.*) ita fateatur: « Virgo Maria in communibus libris sacrae Scripturae, et in omnibus Canticis, imo etiam in singulis versibus, directe vel indirecte, est mystice contenta. » Et ante ipsum sanctus ILDEPHONSUS (*De Virginit. Mariae, cap. 3*) dicens: « Spiritus Sanctus de illa per prophetas praedixit, per oracula intimavit, per figuras intonuit, per praecedentia promisit, per subsequenta complevit. » Et sanctus ANDREAS CRETENSIS (*Orat. 2 De Dormit. Deip.*): « Maria dicitur Summa divinum oraculorum, de qua resonarunt omnes divini Spiritus interpretes. » Quae pulchre concludit sanctus BERNARDUS (*Super Salve*) inquires: « De hac, et per hanc, et propter

hanc omnis Scriptura facta est. » Ergo clarum est, ex Doctoribus sanctis, quod Theologia Mariana sit argumentativa ex loco Scripturae sacrae (1).

Probat, secundo, ratione : quia tota Scriptura est de Christo, veteris Testamenti quidem in figura, novi vero in re figurata : ergo etiam tota est de beata Virgine, cum Mater et Filius sint correlativa quae cognitione separari non possunt. Quod ipsum eleganter declarat sanctus BONAVENTURA (*In Hexam.*) dicens : « Mira dicuntur de Matre Dei Maria in Scripturis, quia in omnibus Scripturis refertur relatione ad Filium; et quod dicunt aliqui, quare ita pauca dicuntur de beata Virgine? nihil est, quia de ipsa ubique et plus dicitur de ipsa, quam si unus tractatus fieret. »

Objicitur quod ea quae de beata Virgine dicuntur, non fundentur in certo quodam principio, uti est verbum Dei scriptum, sed tantum in ratione probabili et piis conjecturis.

Respondetur quod, sicut conclusiones de Christo non omnes sint certae et indubitatae, sed plures, quae inter orthodoxos tractantur, dumtaxat probabiles (ut patet ex tractatu *de Incarnatione et de Sacramentis*) : ita consimiliter de beata Virgine, licet non omnia quae theologi de ipsa pronuntiant, sint omnino certa, satis tamen est quod fundentur in ratione probabili. Sic etiam theologi multa asserunt de angelis quae in puris rationibus opinativis fundantur. Non repugnat ergo hoc ipsum dici de Christo et beata Virgine circa verbum etiam Dei scriptum; cum non omnia certo et liquide deduci possint ex sacra Scriptura, sed multa nonnisi opinative et probabiliter.

(1) Cfr. SUAREZ, in *Praefat. ad quaest. 27 part. 3^{ae} S. Thomae.*

ARTICULUS III

An quivis sensus Scripturae sacrae praebet argumentum theologicum?

Respondetur : non solum sensus *litteralis*, sed etiam *spiritualis*, seu mysticus, cujuscumque speciei, facit argumentum theologicum, quamvis non semper omnino necessarium (1). Ita, cum sancto THOMA (*Summ. part. 1, quaest. 1, art. 10*) videtur communis sententia doctorum catholicorum.

Ratio est quia Christus ipse et apostoli sunt ex utroque sensu litterali et mystico argumentati. Christus Dominus enim (JOAN. III) ex serpente aeneo a Moyse in deserto exaltato (NUM. XX) arguit et infert se tamquam Filium hominis, seu Mariae Virginis, fore exaltandum in cruce, ita loquens : « *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis;* » ubi argumentum est a sensu mystico, in quo Christus per serpentem significatur. Eodem modo Paulus, ex eo quod Abraham duos filios habuerit, Ismaelem de ancilla et Isaacum de libera (GEN. XVI), arguit allegorice (GALAT. IV) Testamentum vetus, quod repraesentatur per ancillam, et Testamentum novum, quod repraesentatur per liberam, habere eundem Patrem, qui est Deus, repraesentatus per Abraham.

Confirmatur de beata Virgine, quia in omni sensu pro ipsa fieri potest argumentum. Imprimis, dicitur in sensu litterali pro-

(1) Sensus *litteralis* est qui per verba propria vel metaphorica immediate significatur. Sic Christus dicitur, in sensu proprio, Deus, Homo; vel in metaphorico, Vitis, Petra, Agnus, Leo. Item beata Virgo, in sensu proprio, Mater Virgo, Genitrix Dei; in sensu metaphorico, Janua coeli, Domus aurea, Stella matutina. — Sensus *spiritualis* vocatur qui non immediate per verba, sed per facta et res, quas ipsa verba significant, indicatur.

prio « *gratia plena* (LUC. I, 28), *tota pulchra* (CANT. IV, 7), *benedicta in mulieribus* (LUC. I, 28); » et in sensu metaphorico : « *amicta sole* (APOC. XII, 1), *quasi aurora* (CANT. VI, 9), *Virga de radice Jesse* (ISAI. XI, 1), *Hortus conclusus* (CANT. IV, 12). » — Deinde, in sensu mystico, quo Scriptura non loquitur per verba, sed per personas ac res ipsam Virginem repraesentantes; ubi allegorice significatur per Evam, matrem viventium (GEN. III), per Rebeccam, propter singularem pulchritudinem (GEN. XXIV), per Abigail, propter eximiam prudentiam (1 REG. XXV), per Judith, ob incredibilem fortitudinem (JUDITH, XIII), per Esther, ob charitatem erga proximum suum (ESTHER, II). Deinde, analogice, praefiguratur ejus resurrectio, assumptio et coronatio in coelis variis Scripturae locis, uti dicitur (PSALM. CXXXI, 8) : « *Surge, Domine, in requiem tuam; tu et arca sanctificationis tuae;* » ubi per arcam, quae erat ex ligno incorruptibili, indicatur incorruptio mariani corporis. Eodem modo adumbratur assumptio beatæ Virginis per Christum intrantem in castellum, quatenus cum tota plenitudine gloriae in eam intravit, uti exponit sanctus THOMAS (*In Matth. XXV*). Item coronatio assumptæ Virginis in coelo, per hæc quae Salomon exhibuit matri suae (3 REG. II). Denique, tropologice, repraesentantur sanctissimæ Virginis virtutes, uti per *lilium inter spinas* (CANT. II) candor innocentiae; per *portam clausam* (EZECH. XLIV) virginitas illibata; per *sponsam amore plenam* (CANT. V) virtus charitatis; per *gladium Simeonis* (LUC. II) dolor intensissimus. Ergo, quia hæc accepiones communes sunt receptæ, nequit negari quod ex his possit fieri argumentum theologicum, tum certum, tum probabile et verisimile.

ARTICULUS IV

An Theologia Mariana sit argumentativa ex verbo Dei tradito?

Respondetur : Theologia Mariana est argumentativa ex loco verbi divini traditi (1).

Probat, primo : credimus fide divina perpetuam virginitatem Deiparae Virginis, uti testatur S. HIERONYMUS (*Advers. Helvid.*), ubi contrarium sentientes tamquam haereticos damnat. Eadem fide credimus quod fratres Christi sic dicti in Evangelio non sint fratres naturales ex eadem matre progeniti, uti validissime probat S. Hieronymus eodem loco citato. Similiter credimus fide divina : 1º quod beata Virgo fuerit immunis a peccato personali ; 2º quod susceperit sacramentum baptismi ; 3º quod mos sit laudabilis eam salutandi et invocandi, ac ejusmodi. Ergo quia hæc in verbo Dei scripto non sunt contenta, cum nullus Scripturae textus de his clarus et indubius, prout ad fidem divinam requiritur, exstet, ideo in vi traditionis infallibilis fundabunt fidem divinam, et præbent argumentum vere theologicum.

Probat, secundo : inter veritates Marianas nulla potior est quam maternitas Dei ; sed neque hæc theologice probari

(1) *Traditio* hic accipitur striete pro sola doctrina sacra quatenus communicata per vivam vocem et a nullo auctore inspirato scriptim annotata. Hæc est duplex : una vere *divina*, et altera pure *humana*. Divina est quae a Christo apostolis, et per apostolos fidelibus est tradita, prout S. Paulus ait (1 Cor. II, 23) : « *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis.* » Altera est pure humana, quatenus vel ab ipsis apostolis ut rectoribus Ecclesiae nomine suo, non Christi, loquentibus, vel a summis Pontificibus et praelatis Ecclesiae est tradita, prout idem Apostolus ait (1 Cor. VII, 12) : « *Ego dico, non Dominus.* » Ex his sola prima fundat fidem divinam.

et fide divina credi potest sine traditione. Nam, licet in Scriptura expresse dicatur «*De qua natus est Jesus* (MATTH. I, 16),» et insuper Jesus nominetur «*verus Deus* (JOAN. V, 20):» seclusa tamen traditione apostolica circa sensum horum verborum, incertum manet, et est insufficiens ad fidem divinam, an Christus sit verus Deus natura *per consubstantialitatem*, an sola *adoptione* per gratiam, sicuti de justis dicitur: «*Dii estis vos* (PSALM. LXXXI, 6);» et maxime quia Christus ipsemet de se fatetur (JOAN. XIV, 28), «*Pater major me est*,» nihil autem majus esse potest Deo vero per naturam. Ob quod Ariani etiam negant esse verum Deum Patri aequalem. Exclusa ergo traditione de vera Christi natiuitate, et tali sensu dictae Scripturae, non posset haberi fides divina, et argumentum vere theologicum de hoc, quod Christus sit verus Deus, et beata Virgo vera Mater Dei (1).

ARTICULUS V

An et qualem fidem, vel argumentum ad probandum, faciant revelationes privatae circa beatam Virginem?

Respondetur: non possunt Mariana mysteria credi fide divina et supernaturali, si sola probabili notitia constet de hoc, quod Deus sit locutus. Probatur ex propositionibus a summa Sede, et speciatim ab Innocentio XI, damnatis (2).

(1) Ad fidem vere divinam et argumentum vere theologicum non sufficiunt verbum scriptum et verbum traditum se solis, sed insuper requiritur auctoritas Ecclesiae. Non enim ipsa traditio in alio consistit, quam in viva voce Ecclesiae divinitatem Scripturae et sensum talis textus attestantis. Ergo, seclusa infallibilitate Ecclesiae, dogma quodcumque Marianum, aut aliud quodvis, non meretur fidem divinam.

(2) Cfr SEDLMAYR *Scholastica Mariana*, part. 1, quaest. 1, art. 9.

In hoc puncto, haeretici moderni omnes privatas revelationes rejiciunt tamquam fide etiam humana indignas. Inter doctores catholicos, sunt quidam qui eas non aliter admittunt nisi sub his restrictionibus: 1° ut non versentur circa pura mysteria, sed circa mores dirigendos; 2° ut non sint de re inter doctores controversa, quia hae sunt hoc ipso suspectae. His observatis, statuitur

1° Contra haereticos: dantur in Ecclesia aliquae revelationes privatae fide dignae, et ad argumentum saltem probabile sufficientes.

Probatur, primo, quia semper a primaeva Ecclesia usque nunc exstiterunt in singulis saeculis quaedam revelationes privatae, prout demonstrant Acta Sanctorum; et constat etiam ex sacra Scriptura, ubi Christus (JOAN. XVI, 12) ait: «*Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*:» sub quibus *multis* intelliguntur omnia quae nos docet Christus, sive publice sive privatim; quia etiam privatim aliqua discipulis et aliis secum conversantibus locutus est; et quia dixit (MATTH. XXVIII, 20): «*Ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*:» quod intelligit docendo et revelando; et per consequens, dantur novae revelationes.

Probatur, secundo, ex historiis ecclesiasticis, sanctis Patribus, et sanctorum vitis et actis, quae omnia tamquam falsa rejicere insania est, ex quibus tamen evidenter constat quod dentur revelationes privatae, fide saltem humana dignae (1); idque tam certo, ut VASQUEZ (*tom. 2, part. 3, disp. 117, num. 78*) dicat: «*Impium et scandalosum esse, miracula quae per sanctos Dei facta esse narrantur, et revelationes quae ipsis factae dicuntur, etsi nondum per Ecclesiam tam-*

(1) Cfr CONCIL. LATER. III, *sess. 2*, et TRIDENT. *sess. 6, cap. 12, can. 6*.

quam fidei dogma approbata sint, passim et sine discrimine negare. »

2º Contra auctores catholicos supra allegatos : dantur etiam revelationes privatae fide dignae circa mysteria Mariana, etiam inter doctores controversa.

Probatur, primo, auctoritate Ecclesiae, quae revelationes privatas circa pura mysteria Mariana, etiam in materiis inter auctores controversis, approbavit tamquam fide dignas. Sic approbavit *Revelationes* S. BIRGITTAE universim, quae tamen multa mysteria etiam inter auctores controversa continent. Verba GREGORII XI approbantis ita sonant : « Totum quod in eis continetur, et veritate conspicuum et sanctitate plenum est. » Et URBANUS VI eas appellat « veritate plenas et a Dei Spiritu veraciter traditas ; » ut patet ex *Defensoria* cardinalis TURCREMATA (*cap. 1*), et ex *Bulla canonizationis sanctae Birgittae* edita a BONIFACIO IX, et confirmata a MARTINO V. Similiter EUGENIUS III approbavit *Revelationes* S. Hildegardis, et alii pontifices *Revelationes* S. Gertrudis, Mechtildis, Catharinae Senensis, etc., in quibus varia sunt mysteria de se pura, et aliqua etiam controversa. Ergo revelationes circa haec sunt fide dignae.

Probatur, secundo, ratione : quia ipsae personae propter vitae sanctitatem, etiam miraculis confirmatam, sunt fide dignae sic, ut citra injuriam non possit ipsis imputari quasi proferendo tales revelationes voluerint fingere, aut fuerint passim a diabolo deceptae. Et si in revelationibus circa mores merentur fidem, prout admittunt auctores orthodoxi, tunc non est ratio cur non etiam mereantur in revelationibus circa pura mysteria, quia persona inspirata manet ubivis ejusdem veracitatis, et Deus ejusdem libertatis ad revelandum. Nec refert quod mysterium revelatum forsitan sit inter auctores controversum, quia disceptatio auctorum nequit Deum cogere ad silendum, sed potius est dispositio pro facienda revelatione.

QUAESTIO SECUNDA

DE PRAEDESTINATIONE BEATAE VIRGINIS

ARTICULUS I

Utrum beatae Virgini recte tribuatur Praedestinatio?

Nota. — Praedestinatio stricte dicta denotat praeordinationem divinam de his quae per gratiam fiunt, prout ait S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 24, art. 1*) : « Praedestinatio proprie accepta est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. » Quo sensu sancta Mater Ecclesia locos illos Scripturae in quibus de hac praedestinatione agitur, non semel Deiparae Virgini applicat in festis et officiis divinis. Quo posito

Respondetur : beatae Virgini recte tribuitur praedestinatio in sacris Litteris annotata.

Probatur, primo, allegando hos ipsos locos ex sacra Scriptura, nempe (PROV. VIII, 22), ubi dicitur : « *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* » Quibus verbis Scriptura loquitur de possessione ante mundi principium, quae est per praedestinationem in mente Dei; et dum dicit, *possedit me*, intelligitur proprie beata Virgo, ex mente nempe Ecclesiae, sanctorum expositorum et Patrum. Licet enim totus iste locus exponi etiam soleat de Sapientia increata, tamen propriissime etiam

quam fidei dogma approbata sint, passim et sine discrimine negare. »

2º Contra auctores catholicos supra allegatos : dantur etiam revelationes privatae fide dignae circa mysteria Mariana, etiam inter doctores controversa.

Probatur, primo, auctoritate Ecclesiae, quae revelationes privatas circa pura mysteria Mariana, etiam in materiis inter auctores controversis, approbavit tamquam fide dignas. Sic approbavit *Revelationes S. BIRGITTAE* universim, quae tamen multa mysteria etiam inter auctores controversa continent. Verba GREGORII XI approbantis ita sonant : « Totum quod in eis continetur, et veritate conspicuum et sanctitate plenum est. » Et URBANUS VI eas appellat « veritate plenas et a Dei Spiritu veraciter traditas ; » ut patet ex *Defensoria* cardinalis TURCREMATA (*cap. 1*), et ex *Bulla canonizationis sanctae Birgittae* edita a BONIFACIO IX, et confirmata a MARTINO V. Similiter EUGENIUS III approbavit *Revelationes S. Hildegardis*, et alii pontifices *Revelationes S. Gertrudis*, *Mechtildis*, *Catharinae Senensis*, etc., in quibus varia sunt mysteria de se pura, et aliqua etiam controversa. Ergo revelationes circa haec sunt fide dignae.

Probatur, secundo, ratione : quia ipsae personae propter vitae sanctitatem, etiam miraculis confirmatam, sunt fide dignae sic, ut citra injuriam non possit ipsis imputari quasi proferendo tales revelationes voluerint fingere, aut fuerint passim a diabolo deceptae. Et si in revelationibus circa mores merentur fidem, prout admittunt auctores orthodoxi, tunc non est ratio cur non etiam mereantur in revelationibus circa pura mysteria, quia persona inspirata manet ubivis ejusdem veracitatis, et Deus ejusdem libertatis ad revelandum. Nec refert quod mysterium revelatum forsitan sit inter auctores controversum, quia disceptatio auctorum nequit Deum cogere ad silendum, sed potius est dispositio pro facienda revelatione.

QUAESTIO SECUNDA

DE PRAEDESTINATIONE BEATAE VIRGINIS

ARTICULUS I

Utrum beatæ Virgini recte tribuatur Prædestinatio?

Nota. — Prædestinatio stricte dicta denotat praeordinationem divinam de his quae per gratiam fiunt, prout ait S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 24, art. 1*) : « Prædestinatio proprie accepta est quaedam divina praeordinatio ab aeterno de his quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. » Quo sensu sancta Mater Ecclesia locos illos Scripturae in quibus de hac praedestinatione agitur, non semel Deiparae Virgini applicat in festis et officiis divinis. Quo posito

Respondetur : beatæ Virgini recte tribuitur praeordinatio in sacris Litteris annotata.

Probatur, primo, allegando hos ipsos locos ex sacra Scriptura, nempe (PROV. VIII, 22), ubi dicitur : « *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* » Quibus verbis Scriptura loquitur de possessione ante mundi principium, quae est per praedestinationem in mente Dei; et dum dicit, *possedit me*, intelligitur proprie beata Virgo, ex mente nempe Ecclesiae, sanctorum expositorum et Patrum. Licet enim totus iste locus exponi etiam soleat de Sapientia increata, tamen propriissime etiam

intelligitur de Deipara Virgine, praesertim si legatur totus contextus. Versu enim 23 additur : « *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret;* » et versu 24 : « *Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram;* » et versu 25 : « *Ante colles ego parturiebar.* » Quae omnia de beata Virgine cum proprietate dicuntur, non minus quam de Sapientia increata, quae Christus est. Quia enim, iuxta S. THOMAM (*De Potent. quaest. 4, art. 1*) haec regula universalis tenenda est : « quod omnis veritas quae, salva litterae substantia, potest divinae Scripturae aptari, sit ejus sensus, » ob rationem quam addit : « quia hoc ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat; » hoc ipso ergo quod locus Scripturae allegatus aequè proprie de Virgine Deipara sicut de Sapientia increata loquatur, etiam de illa intelligendus est.

Confirmatur ex libro ECCLESIASTICI (XXIV, 5), ubi habetur : « *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam,* » id est, ex mente Dei praedestinantis, in qua sum primogenita ante omnem puram creaturam concepta. Et ut clarius exprimatur Deipara Virgo, additur versu 12 : « *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo,* » nempe Deus in utero meo novem menses. Et versu 14 : « *Ab initio et ante saecula creata sum;* » ubi vox *creata* non tam proprie aptatur Sapientiae *increatae*, cum Christus nequeat dici simpliciter creatus, quam Deiparae Virgini. Ergo quia Scriptura in his locis proprie loquitur de praedestinatione, ideo haec etiam proprie Virgini attribuitur.

Probatur, secundo, ex sanctis Patribus fidelissimis Scripturae interpretibus; inter quos S. AUGUSTINUS (*Tract. 8 in Joan.*) ait : « Antequam de illa natus esset, in praedestinatione noverat Matrem. » Et S. J. DAMASCENUS (*Orat. 1 de Nativ. Mariae*) : « Quia decretum praedestinationis ex amore tamquam ex prima radice oritur, te ille rerum omnium Deus

dignam praenoscescens amavit, amatam praedestinavit. » Quibus consonant S. CYPRIANUS (*Orat. de Nativ. B. Virg.*), eam nominans « Vas totius electionis, » et S. ANDREAS HIEROSOLYMITANUS, « Scopum excogitatum ante saecula. » Quemadmodum nempe de electis universim dicitur (EPHES. I, 4), « *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem;* » ita maxime de beata Virgine, tamquam prima inter electos, tum ad gloriam tum ad maternitatem Dei, Scriptura et Patres intelligendi sunt.

Probatur, tertio, ratione S. THOMAE (*Summ. part. 3, art. 1*) : Praedestinatio proprie dicta est quaedam divina praeordinatio ab aeterno facta de his quae per gratiam Dei faciendae sunt in tempore; sed de beata Virgine Deus ab aeterno talia, quae per gratiam fiunt, eaque singularissima, praeordinavit ut faciendae in tempore : ergo circa illam datur divina praedestinatio. — Minor probatur : beata Virgo per singularissimam gratiam facta est Mater Dei, iuxta illud, « *De qua natus est Jesus* (MATTH. I, 16) », et accepit summas praerogativas, de quibus mentio fit in aliis Scripturae locis, (uti LUC. I) de plenitudine gratiae, et de regno aeterno, uti Filii ita et proprio : ergo praedestinatio ejus facta est ad has singularissimas gratias, et hoc de necessitate, quia quae fiunt in tempore, nequeunt fieri nisi ex praescientia et praeordinatione Dei aeterna.

ARTICULUS II

Utrum beata Virgo sit praedestinata ante omnem creaturam?

Respondetur : beata Virgo est vere praedestinata ante omnem puram creaturam, hoc sensu, quod voluntas Dei creandi Mariam sit anterior natura, quam voluntas creandi Adamum et alios progenitores.

Probatur, primo, ex sacris Paginis, speciatim ex ECCLESIAS-
TICO (XXIV, 14), ubi dicitur : « *Ab initio et ante saecula
creata sum* ; » quod Ecclesia ipsa beatæ Virgini cooptat in
Officio de ipsa, et reipsa magis de ipsa intelligitur quam de
Sapientia increata, cum hæc non dicatur *creata*, saltem
simpliciter. Unde S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 16,
art. 26*) expresse docet Christum, qui est Sapientia increata,
non posse absolute et simpliciter vocari creaturam. Beata
Virgo ergo recte dicitur *creata ante saecula*, et quidem
primogenita ante omnem creaturam (ECCLE. XXIV, 25),
et speciatim ante omnes angelos et homines, juxta illud
(PROV. VIII, 25) : « *Ante omnes colles ego parturiebar.* »
S. AUGUSTINUS (*De Trinit. lib. 1. cap. 12*) legit : « *Ante
omnes colles genuit me*, id est, ante omnes altitudines
creaturarum concepit me, et parturiit prædestinando non
solum ut essem sancta, sed etiam ut essem Mater sanctorum,
sicut Christus est Pater, Princeps et Caput sanctorum.

Probatur, secundo, auctoritate sanctorum Patrum, ex
quibus S. AUGUSTINUS primum locum obtinet, tum loco im-
mediate citato, tum *Tractatu 8 in Joannem*, ubi ait :
« *Antequam Filius de ea natus est, in prædestinatione nove-
rat Matrem* ; » et : « *Quemadmodum noverat ipsam ut Matrem
suam, ita elegit ipsam in Matrem totius mundi.* » Si ergo
Mater esse debuit in mente Dei prædestinantis per hoc ipsum,
quod Salvatoris Mater esset, tunc etiam in prædestinatione
omnes præcedere debuit. Idem loquuntur alii Patres (1).
Quemadmodum ergo de Christo dicitur, « *Propter quam
omnia* (HEBR. II, 10), » ita etiam de illa dicitur : « *Propter
quam, post Christum omnia* ; » uti S. BERNARDUS (*Serm. 3
super Salve*) ait : « *Propter quam omnis creatura facta est.* »

(1) Cfr SEDLMAYR, *Scholastica Mariana, part. 1, quaest. 2, art. 3.*

Adeoque, ex mente sanctorum Patrum, beata Virgo, in serie
divinorum decretorum, præcedit omnia.

Probatur, tertio, ratione : Deus eo ordine creaturas diligit,
et de iis decernit, quo se invicem excedunt in bonitate et ad
Dei gloriam manifestandam serviunt, cum propter hanc eas
fecerit (PROV. XVI, 4 : *Universa propter semetipsum
operatus est Dominus*). Atqui beata Virgo, qua Mater Dei,
excedit omnes puras creaturas in bonitate et dignitate, cum
uniri Deo in ratione matris naturalis, quod ipsi convenit, sit
quid longe majus et aestimabilius, in justo judicio, quam uniri
tantum in ratione filii adoptivi; propter quod S. P. DAMIANUS
(*Serm. 1 de Nativ. B. Virg.*) ait : « *Hoc unum de Maria
dicere, quod Mater Dei est, superat omnia quae ab angelo vel
ab homine dici possunt.* » Ergo Deus beatam Virginem diligit,
et in serie prædestinationis de ea ante omnes caeteras puras
creaturas decernit, et per consequens est prædestinata ante
omnem puram creaturam (1).

ARTICULUS III

*Utrum beata Virgo appareat statim in primo signo
decreti intentivi qua Mater Redemptoris?*

Respondetur : beata Virgo apparet etiam in primo signo
decreti intentivi inter puras creaturas tamquam Mater Re-
demptoris (2).

Probatur, primo, ex sacra Scriptura, quae Christum qua

(1) S. ANTONINUS (*Summ. part. 3, tit. 15, cap. 4*) ait : « *Ipsa primo-
genita est ante omnem creaturam : nobilior enim est, et perfectior
gratia et gloria omni pura creatura; quod autem primum est in aliquo
genere, est quasi causa aliorum.* »

(2) Ita SALMANTICENSES, *De Incarnatione, tom. 9, tract. 21, disp. 2,
num. 30*, et VEGA, *Theologia Mariana, num. 150.*

Redemptorem expresse vocat « *Primogenitum omnis creaturae*; » ita enim habet AD COLOSSENSES (I, 15); ubi versu 17 addit : « *Et ipse est ante omnes.* » Ut autem planum sit quod loquatur de Redemptore, praemisit, versu 14 : « *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus*; » et subjungit, versu 18 : « *Primogenitus ex mortuis.* » Adeoque, juxta Scripturam, Christus qua Redemptor apparet in primo signo decreti intentivi ante omnem creaturam; et per consequens etiam beata Virgo qua Mater Redemptoris, quia, ut merito notat SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 1, sect. 3*) : « Mater non fuit a Filio sejuncta in electione divina; » cum ipsa sit correlativa ad Filium, quae de necessitate simul sunt cognitione et praedestinatione; nec Christus fuit aliter praedestinatus quam qua « *Filius hominis*, » qualem se (MATTH. VIII, 20 et alias) frequenter nominat, ut honorem det Matri suae, quae propterea etiam vocatur « *Primogenita ante omnem creaturam.* » Ergo ex ipsa Scriptura liquet quod jam in primo signo decreti intentivi appareat ante omnem puram creaturam, qua Mater Redemptoris.

Probatur, secundo, auctoritate sanctorum Patrum. Inter quos S. IRAENEUS (*Advers. Valent. lib. 3, cap. 32*) quaerens « Quid est quod sine consensu Mariae non perficitur mysterium Incarnationis? » respondet sibi ipsi : « Quia nempe vult illam Deus omnium honorum esse principium; » nec aliter quam qua Mater Redemptoris; quia consensum dedit in opus redemptionis. Sicut ergo Christus in primo signo intentus est qua Redemptor, ita etiam beata Virgo in primo signo intenta est qua Mater Redemptoris, cum sine ipsa non fuerit intentum opus redemptionis. Idem sentit S. ISIDORUS THESSALONICENSIS (*Serm. de Annunt.*), dicens : « Propter ipsam initio creatus est homo, et quicquid productum est propter hominem; » eo nempe modo, quo propter Christum. Sicut ergo homo creatus est propter Christum ut Redemptorem, cum qua talis sit

Primogenitus omnis creaturae, ita etiam creatus est propter beatam Virginem qua Matrem Redemptoris. His consentit S. BERNARDUS (*Serm. 3 sup. Salve*), allegatus a SUAREZ (*tom. 2, part. 3, dissert. 1, sect. 3*): « Tu ante omnem creaturam in mente Dei praedestinata fuisti; » quemadmodum Christus, qui praedestinatus est scilicet qua Redemptor, adeoque et ipsa qua Mater Redemptoris.

Probatur, tertio, ratione : Deus de facto pro primo signo decreti intentivi voluit ea quae meliora sunt in ordine ad manifestandam divinam gloriam, in justitia praesertim et misericordia (1).

Atqui ad hunc finem nihil melius est quam Christus qua Redemptor, et beata Virgo qua Mater Redemptoris; et sunt hi longe meliores ad hunc finem quam status naturae vel innocentiae, etiam sumptus cum Christo praecise quoad substantiam : ergo Deus pro primo signo decreti intentivi voluit Christum qua Redemptorem, et beatam Virginem qua Matrem Redemptoris. Ergo revera qua tales meliores sunt, et sic qua tales intenti sunt in primo signo decreti.

Confirmatur. Ipse status naturae reparatae per Christum Redemptorem est longe melior quam erat status innocentiae, in quo primi parentes erant constituti, cum dicatur : « *Veni ut vitam habeant, et abundantius habeant* (JOAN. X, 10); » et Ecclesia in Sabbato sancto canat : « O felix Adae peccatum ! » BERNARDUS quoque asserat super illud, *Apparuit signum magnum* (APOC. XII, 1-2) : « Vehementer nobis vir unus et mulier una nocuere; sed, Deo gratias ! quia per unum nihilo-

(1) Deus de facto, juxta communem sententiam Patrum, fecit non nisi ea quae meliora sunt, non quidem quae talia sunt per bonitatem absolutam in se, cum utique Deus mundum meliorem et res in mundo meliores facere potuisset; sed bonitate respectiva relate ad finem a Deo libere praefixum, nempe ad se et suam gloriam manifestandam, juxta illud : « *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* »

minus virum et mulierem unam omnia restaurantur, nec hoc sine magno foenore gratiarum (*Serm. sup. Signum magn. num. 1*). » Non fuissent nempe in statu innocentiae tot et tam praestantia sacramenta, non fuissent martyres, non poenitentes, et tot tam prodigiosae sanctitatis exempla. Ergo omnino melius est Christum fuisse missum qua Redemptorem; et quia Deus hoc ipsum etiam de facto fecit quod melius est, ideo in primo signo decreti intentivi habuit Christum qua Redemptorem, et beatam Virginem qua Matrem Redemptoris.

ARTICULUS IV

Utrum praedestinatio primitus intentiva beatae Virginis, tum ad Maternitatem Dei, tum ad gloriam, sit pure gratuita et independens a meritis?

Respondetur cum SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 1, sect. 3*) contra nonnullos alios: « Certum est beatam Virginem fuisse ab aeterno electam et praedestinatum, tum ad gratiam, tum ad gloriam, tum etiam ad dignitatem Matris Dei, ante omnia illius merita praeterita. »

Probatur, primo, ex sacra Scriptura, in qua Apostolus de omni electione dicit quod fiat per gratiam, non per debitum, seu meritum. Unde ait: « *Sorte vocati sumus* (EPHES. I. 11), » usurpando hoc sensu quod non ex merito fuerimus vocati, sed sorte divini arbitrii et beneplaciti. Quod sicut Apostolus expertus est, ita maxime intelligendum est de beata Virgine, quia Deus ad angelum et hominem tantum dixit: *Servus meus, minister aut apostolus* es tu; ad Virginem vero: *Mater mea* es tu; et ideo haec singularissima gratia est, minime debitum aut meritum. Unde angelus jure dixit: « *Ave, gratia plena* (LUC. I, 28), » insinuans quod electio ad maternitatem

et caetera specialissima dona a Deo ei adjecta, quibus plena effecta est, sint vera gratia, non debita; quod ipsum etiam beata Virgo fassa est dum edixit: « *Respexit humilitatem ancillae suae* (LUC. I, 48), » id est, nihilatem, non meritum. Et hoc S. BERNARDUS (*Serm. de Nativ. B. Virg.*) sic exposuit: « Maria non praetendit meritum, sed gratiam quaerit. »

Probatur, secundo, auctoritate sancti AUGUSTINI (*De Dono Persev. cap. 9*) sic loquentis: « Ex duobus parvulis peccato originali pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; et ex duobus aetate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei; » non resolvenda nempe per meritum, dicendo, quia meruit. Ergo pariter, et longe magis, cur beata Virgo tanta dona acceperit ut esset « Mater Dei electa, et ad gloriam super omnes sanctos destinata, » nequit resolvi per meritum, seu quia meruit, sed quia sic Altissimo ex inscrutabili judiciorum divinorum abysso placuit. Consequens probatur: sicut vocatio efficax ad gloriam apud reliquos homines est purissima gratia, cum non stet penes hominem efficaciter vocari, ita et magis est merissima gratia Dei eligi prae alia in Matrem Dei, et ad gloriam super omnes.

Probatur, tertio, ratione sancti THOMAE (*Summ. part. 1, quaest. 23, art. 4*): Ordinate volens prius vult finem quam media. Ergo quia Deus ordinatissima voluntate vult, et qualiter volens beatae Virgini gratiose decrevit specialissima auxilia gratiae dare, quibus posset prae aliis feminis mereri maternitatem Dei et gloriam super omnes angelos et homines, ideo hoc suo decreto prius beatae Virgini intendit maternitatem Dei et tantam gloriam tamquam finem, quam intenderit ipsa specialissima et extraordinaria auxilia; et quia non nisi gratuito et ante omne meritum actualè intendit dare auxilia,

ideo etiam non nisi gratuito primitus intendit beatæ Virgini maternitatem et gloriam.

Objicitur : sententia de gratuita electione ad maternitatem et tantam gloriam minuit laudem beatæ Virgini consistentem in merito : hoc enim commendat merentem et extollit super non merentem ; ergo eligenda est opposita.

Respondetur veram laudem beatæ Virgini consistere in hoc, quod maternitatem Dei et tantam gloriam meruit in executione. Meritum enim spectat ad genus causæ efficientis moralis, quæ efficit ordinem executionis ; ordo intentionis autem, spectando proprium subjectum, efficit genus causæ finalis a Deo gratuito intentæ ; quæ proinde non cadit sub meritum, quod se habet ut medium ad executionem.

QUAESTIO TERTIA

DE NOBILISSIMA PARENTELA GLORIOSAE DEIPARENTIS

ARTICULUS I

Quinam fuerint parentes proximi beatæ Virgini?

Respondetur : parentes proximi beatæ Virgini sunt Joachim et Anna.

Probatur ex eruditissimo D. CALMET (*Diction. Bibl. verbo Anna*), qui attestatur quod « Vetustissima manuscripta, sanctorum Patrum monumenta, et tota traditio Ecclesiae, » stent pro Joachim et Anna, quod hi sint progenitores beatæ Virgini. Quod ipsum confirmat Romana Ecclesia, allegans in Officio de sancto Joachim orationem sancti EPIPHANII (*De Laud. Virg.*), ubi sic habet : « De radice Jesse ortus est rex David, et de tribu regis David sancta Virgo : sancta, inquam, et sanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim et Anna. » Item usurpans in Officio sanctæ Annae lectiones S. J. DAMASCENI (*Orat. 2 de Nativ. B. Virg.*), ubi sanctam Annam expresse vocat *matrem*, et Deiparam Virginem *filiam* (1).

(1) Joachim et Anna nunc ab universa Ecclesia coluntur ut parentes proximi beatæ Virgini : et quamvis Pius V festum sancti Joachim, Martyrologio jam anno 1491 insertum, propter aliqua apocrypha hymnis et lectionibus Officii immista e romano Breviario deleverit, tamen id ipsum ab apocryphis purgatum Gregorius XV, anno 1620, rursus restituit et Breviario romano ad diem 20 Martii inseruit : quod deinceps Benedictus XIV in Dominica infra octavam Assumptionis, sub ritu duplicis majoris, servari jussit.

ideo etiam non nisi gratuito primitus intendit beatæ Virgini maternitatem et gloriam.

Objicitur : sententia de gratuita electione ad maternitatem et tantam gloriam minuit laudem beatæ Virgini consistentem in merito : hoc enim commendat merentem et extollit super non merentem ; ergo eligenda est opposita.

Respondetur veram laudem beatæ Virgini consistere in hoc, quod maternitatem Dei et tantam gloriam meruit in executione. Meritum enim spectat ad genus causæ efficientis moralis, quæ efficit ordinem executionis ; ordo intentionis autem, spectando proprium subjectum, efficit genus causæ finalis a Deo gratuito intentæ ; quæ proinde non cadit sub meritum, quod se habet ut medium ad executionem.

QUAESTIO TERTIA

DE NOBILISSIMA PARENTELA GLORIOSAE DEIPARENTIS

ARTICULUS I

Quinam fuerint parentes proximi beatæ Virgini?

Respondetur : parentes proximi beatæ Virgini sunt Joachim et Anna.

Probatur ex eruditissimo D. CALMET (*Diction. Bibl. verbo Anna*), qui attestatur quod « Vetustissima manuscripta, sanctorum Patrum monumenta, et tota traditio Ecclesiae, » stent pro Joachim et Anna, quod hi sint progenitores beatæ Virgini. Quod ipsum confirmat Romana Ecclesia, allegans in Officio de sancto Joachim orationem sancti EPIPHANII (*De Laud. Virg.*), ubi sic habet : « De radice Jesse ortus est rex David, et de tribu regis David sancta Virgo : sancta, inquam, et sanctorum virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim et Anna. » Item usurpans in Officio sanctæ Annae lectiones S. J. DAMASCENI (*Orat. 2 de Nativ. B. Virg.*), ubi sanctam Annam expresse vocat *matrem*, et Deiparam Virginem *filiam* (1).

(1) Joachim et Anna nunc ab universa Ecclesia coluntur ut parentes proximi beatæ Virgini : et quamvis Pius V festum sancti Joachim, Martyrologio jam anno 1491 insertum, propter aliqua apocrypha hymnis et lectionibus Officii immista e romano Breviario deleverit, tamen id ipsum ab apocryphis purgatum Gregorius XV, anno 1620, rursus restituit et Breviario romano ad diem 20 Martii inseruit : quod deinceps Benedictus XIV in Dominica infra octavam Assumptionis, sub ritu duplicis majoris, servari jussit.

Objicitur 1^o quod S. HIERONYMUS (*Advers. Helvid. cap. 7*) patrem Deiparae vocat *Cleopham*, ob hoc ipsum quod illam appellet sororem Mariae Cleophae; duae sorores autem habent eundem patrem, et per consequens hic non est Joachim.

Ad quod respondetur, ex ipso S. HIERONYMO, tum in opusculo *Adversus Helvidium*, tum in *Commentario in Matthaeum (cap. XII, vers. 49)*, quod Hebraeis et ipsi Scripturae sacrae familiare sit consanguineos masculos vocare *fratres*, et consanguineas mulieres *sorores*; uti patet ex variis Scripturae locis. Sic Laban, socer Jacobi vocatur *frater* (GEN. XIX), et Abraham Saram nominat *sororem* (GEN. XX); et ideo ex eo quod Maria Virgo dicatur *soror* Mariae Cleophae, male infertur quod sit soror stricto sensu, seu germana ex eodem patre; praesertim dum contraria est traditio Ecclesiae, et ipse Hieronymus docet quod nomen sororis sit varii sensus, stricti et lati.

Objicitur 2^o, quod genealogia Christi in Evangelio descripta (LUC. III), et per Mariae progenitores ducta, patrem Deiparae nominat Heli, dicendo: « *Jesus, qui putabatur filius Joseph, qui fuit Heli,* » silicet mediate tanquam nepos, mediante Maria tanquam filia Heli.

Ad quod respondetur auctores illos qui genealogiam Christi apud LUCAM (*cap. III*) per Mariae progenitores ductam existimant, haec duo nomina Heli et Joachim sumere pro uno et eodem; et sic probabiliter ostendunt Mariam Virginem secundum lineam paternam descendere ex semine David, quia descendit tanquam filia Heli, qui idem reipsa est quod Joachim, juxta hos Scripturae interpretes et auctores (1).

(1) Cfr quod infra dicitur de genealogia beatae Virginis, ART. IV.

ARTICULUS II

Utrum determinate dicendum sit quod beata Virgo descendat ex Juda et David per lineam paternam Joachim?

Nota. — Quaestio oritur utrum sufficiat dicere quod beata Virgo descendat ex Juda et David, vel secundum lineam paternam sancti Joachim, vel secundum lineam maternam sanctae Annae; an vero determinate sit dicendum quod inde descendat secundum lineam paternam Joachim? Ad quod

Respondetur: est determinate dicendum quod beata Virgo descendat ex Juda et David per lineam paternam Joachim. Ita SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 2, sect. 3*), cum S. THOMA (*Summ. part. 4, dist. 30, quaest. 2, art. 1*), et communi theologorum.

Probat, primo, ex Apostolo (HEBR. VII, 14): « *Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus, in qua tribu nihil de sacerdotio Moyses locutus est.* » Ex quo licet sic argumentari: Paulus absolute et simpliciter Christum dicit esse de tribu Juda. Ergo quia Christus non aliunde tribum acquirit quam ex linea paterna suae Matris, cum absolute et simpliciter aliquis denominetur ex genere paterno tanquam potiori: ideo determinate dicendum est quod beata Virgo sit ex Juda et David secundum lineam paternam Joachim tanquam patris.

Confirmatur: non potest cum veritate de aliquo absolute et simpliciter negari quod sit de genere illo ex quo pater ejus est; atqui de Christo, et inde pariter de beata Virgine, absolute et simpliciter negatur a Paulo (HEBR. VII) quod sit de genere Levi, et absolute ac simpliciter affirmatur quod sit de tribu Juda; ergo pater beatae Virginis est de tribu Juda.

Probatur, secundo : distinctio tribuum fuit conservata in linea paterna, et non in materna : quod patet exinde, quia quando filiae unius tribus dabantur in matrimonium filiis alterius tribus, non censebatur per hoc mutari viri tribus. Sic David dictus est de tribu Juda, licet uxorem habuerit Michol, filiam Saul de tribu Benjamin (1 REG. IX), et Joiadas sacerdos mansit esse de tribu Levi, licet uxorem duxerit Josabeth, filiam Joram de tribu Juda (2 PARAL. XXII). Femina enim sequitur familiam viri assumendo nomen ejus : unde constat distinctionem tribuum conservari in linea paterna, non materna; ac per consequens, quando aliquis dicitur de tribu Juda, et non de Levi, debet pater esse de tribu Juda, et non de tribu Levi. Et sic pater beatæ Virginis, qui est Joachim, censendus est esse de tribu Juda et David.

Probatur, tertio : dubitari non potest, ait VASQUEZ (*part. 3, quaest. 31, disp. 127, num. 17*), quin beata Virgo fuerit haeres honorum suorum parentum : unde consequitur quod non possit esse filia sacerdotis, seu de tribu Levi secundum patrem, quia sacerdotes, licet habuerint filias ex tribu aliena, non poterant tamen habere possessiones ; sed lege cautum erat ut viverent de oblationibus et decimis. Ergo quia beata Virgo fuit haeres, eaque unica suorum parentum, debuit pater esse de tribu Juda, et non de Levi, sicut, teste Paulo superius laudato, Christus est de tribu Juda, et non de Levi.

ARTICULUS III


Utrum beata Virgo, quoad lineam paternam, descendat ex Davide per Salomonem ?

Nota. — Genealogia Davidis, cui post Abraham specialis a Deo facta est promissio de Christo per ipsum, et semen ejus, venturo (2 REG. VII), divisa fuit in duas lineas per duos Davi-

dis filios productas et propagatas. Una est per Salomonem et ejus posteros, quae proprie dicitur regia ; altera ducitur per Nathan et ejus posteros, ex quibus nullus sceptrum unquam tenuit. Prima recensetur in *Evangelio S. MATTHAEI (cap. I)*; secunda refertur in *Evangelio S. LUCAE (cap. VIII)*. Quaeritur ergo utrum beata Virgo determinate per patrem Joachim descenderit ex regia Salomonis linea, ut per ipsum jus ad regale sceptrum ad beatam Virginem, tamquam filiam, et inde ad Christum, potuerit devolvi, vel solum descenderit per Nathan ? Ad quod

Respondetur : beatissima Virgo, quoad lineam paternam, descendit ex David per Salomonem. Ita CORNELIUS A LAPIDE (*In Luc. III, 23*) : « Dico : valde verisimile est quod tempore Christi notissimum erat Mathan fuisse avum communem Joseph et beatissimæ Virginis ; Jacob vero, patrem Joseph, et Joachim, patrem beatissimæ Virginis, fuisse fratres germanos. » Adeoque ipse etiam Cornelius hanc sententiam approbat, et tamquam valde verisimilem, et tamquam traditionem propter notitiam a tempore Christi agnoscit (1).

Quare arbor genealogica sic formatur :



(1) Eandem tuetur MARIANA (Apud VEGA, in *Theologia Mariana*, num. 906.

« *Christus dicitur factus secundum carnem ex semine David,* » et quidem per lineam Salomonis (2 REG. VII, 12) : « *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero; et firmabo regnum ejus; ipse aedificabit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus in sempiternum.* » Ubi Scriptura clare et expresse loquitur de Salomone, cui dein Deus in ipsa etiam persona promissum repetiit (3 REG. IX, 5) : « *Ponam manum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel.* » Quod autem hoc promissum non sit tantum conditionatum, sub conditione si non peccaverit, constat ex aliis verbis quae Deus addidit (2 REG. VII, 14) : « *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum* (1); *misericordiam autem non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul; thronus tuus erit firmus jugiter,* » videlicet in jure haereditario, quod perveniet in domo tua usque ad Christum, ducem et auctorem salutis, juxta illud (Luc. I, 69) : « *Erexit nobis cornu salutis in domo David pueri sui.* » Quia ergo Christus Dominus non est factus ex semine David nisi per beatam Virginem, ideo mediante hac descendit ex David per Salomonem, et quidem secundum lineam paternam, juxta illud : « *Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel.* » Per viros ergo eosque primogenitos jus haereditarium regni Davidici fuit propagatum et delatum ad beatam Virginem et Christum; et per consequens non nisi per Joachim, tamquam patrem naturalem beatissimae Virginis et natu majorem respectu Jacob.

Conclusio probatur 2^o ex sanctis Patribus. Nam S. AMBROSIVS super illud, « *Qui fuit Salathiel* (Luc. III, 27), » expresse affirmat beatissimam Virginem esse oriundam ex

(1) Quod accidit dum actualis regni possessio auferri coepit in Roboam, et penitus ablata est in Jechonia.

genere David per regalem lineam. Et S. HIERONYMUS (*In Jerem. XXII*) asserit Christum fuisse de semine Jechoniae per Salathiel, Zorobabel et reliquos (i). Quia ergo Patres absolute affirmant beatam Virginem esse de semine Jechoniae et Salomonis, erit certe ex hoc genere per lineam paternam; quia, ut supra ostendimus, absolute aliquis dici non potest de aliquo genere, nisi secundum lineam paternam: cum mater non det nomen familiae, sed pater, et uxor nomen familiae a viro assumat.

Conclusio probatur 3^o: linea Salomonis est paterna respectu sancti Joseph tamquam filii Jacob; ergo etiam respectu beatissimae Virginis tamquam filiae Joachim. Consequens probatur: omnis filia haeres seu unigenita debuit matrimonio copulari propinquiori in sua familia, ut patet ex Lege (NUM. XXXVI, 7 et 8): « *Ducent uxores de tribu et cognatione sua, ut haereditas permaneat in familiis.* » Sed beatissima Virgo fuit filia haeres, quia unigenita: ergo debuit copulari matrimonio viro in cognatione propinquiori.

Subsumitur: sed hanc propinquitatem beatissima Virgo cum sancto Joseph solum habet ex supposito quod Joachim fuerit de linea Salomonis et filius primogenitus Mathan, per quod beatissima Virgo censetur sanctum Joseph attingere in secundo consanguinitatis gradu, et simul esse haeres suorum parentum; ergo supponendum est quod Joachim, pater Virginis, fuerit de linea Salomonis et filius primogenitus Mathan. Subsumptum probatur: si sanctus Joachim foret de linea Nathan, transiret haereditas de familia una in aliam, de familia scilicet Nathan in familiam Salomonis, et non maneret in familia: quod foret contra legem, quae petit conservare non solum tribus seu lineas sub remotissimo stipite (qualis est

(1) Idem tradit *In cap. IV Zachariae*, et *In cap. XXXVIII Jeremiae*, dicens Christum descendisse ex Salomone et Ezechia.

David relate ad lineas Salomonis, et Nathan), sed ipsas familias proximas, « *ut haereditas permaneat in familiis.* » Ergo debuit sanctus Joachim esse de linea Salomonis; et ut proxime attingeret sanctum Joseph, debuit insuper patruus esse, seu frater natu major respectu Jacobi, patris sancti Joseph; quia filia haeres debuit copulari propinquiori. Et ut haec haeres esset juris regii ad sceptrum judaicum, debuit Joachim esse primogenitus, ut hoc jus in filiam, et ex illa in Christum potuerit transferri.

Conclusio probatur 4^o specialiter ex hoc, quod Christo et beatæ Virgini competat regnum Israel jure haereditario, et ex titulo successionis naturalis; adeoque pater beatæ Virginis debuit esse de linea Salomonis et gaudere jure primogeniturae; alias hoc non potuisset transferre in familiam, et inde in Christum, quod obtinet vere per hoc, quod fuerit filius primogenitus Mathan de linea Salomonis. Quod autem Christo vere competat jus haereditarium in regnum Israel, constat ex variis locis sacrae Scripturae (1). Et ipse Christus Pilato sciscitanti: « *Tu es rex Judaeorum?* » respondit: « *Tu dixisti* (JOAN. XVIII, 33). » Quae responsio apud Christum affirmativa esse solebat. Christus ergo jus ad sceptrum tenuit, et id obtinuit mediante Matre, a qua sola carnem et successionem habuit; Mater autem mediante Joachim patre suo, Mathanis filio de linea regia Salomonis.

Sed objicitur: est gravium doctorum sententia quod, in genealogia a S. Luca descripta, *Heli* per apocopen idem sonet quod *Joachim*; et per consequens, quod Lucas describat lineam paternam beatissimæ Virginis, in qua *Heli* dicitur pater Josephi, in quantum socer ejus etiam pater vocatur.

Respondetur cum SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 2, sect. 3*) illam tantum sententiam esse a Patribus receptam, quae dicit

(1) Cfr MATTH. II, 2; JOAN. I, 48-49, et XIX, 19.

Joseph fuisse naturalem filium Jacobi et legalem Heli, quatenus Heli, uterinus frater Jacobi, ex eadem matre successive duobus nupta sine liberis mortuus reliquit quoque uxorem suam Jacobo fratri, ad suscitandum sibi semen copulandam, juxta mandatum Legis (DEUT. XXV); ex qua proinde uxore Jacob genuit Joseph; ut adeo iste factus sit naturalis filius Jacobi, et legalis Heli, titulo legis Deuteronomii de suscitando fratri semine: quo sensu uterque Evangelista, Matthaeus et Lucas, genealogiam Joseph recensent, prior naturalem, posterior legalem. Quod porro Heli idem sonet ac Joachim, et quod propterea Lucas describat lineam paternam, hoc, ait Suarez, non est receptum a Patribus et sacris expositoribus Scripturae; sed est inventum a recentioribus contra sensum antiquitatis, ut notat VASQUEZ (*part. 3, quaest. 31, disp. 127, num. 59*). — (1)

Omnino verisimile est quod uterque Evangelista sic instruxerit genealogiam, ut, ex una parte, observaret morem gentis de virorum, si haberi potest, prae feminarum genealogia describenda; et ex altera parte, sancti Joseph et beatissimæ Virginis simul genealogiam teneret, cum utraque ad Christum attineat. Hoc modo S. Matthaeus, referendo genealogiam regiam per Salomonem tanquam praecipuam, descripsit et naturalem paternam sancti Joseph et ipsius Virginis Deiparae, ac Christi Domini, ut constat ex arbore superius posita. Econtra S. Lucas retulit genealogiam legalem sancti Joseph et naturalem maternam beatæ Virginis, quia, ut constabit ex tabula genealogica inferius describenda, sancta Anna, quae mater est beatæ Virginis, neptis est Mathan de linea Nathan, et filia Mariae, uxoris Mathan, sacerdotis Bethleemici.

(1) Alias objectiones videre est apud SEDLMAYR, *Scholastica Mariana*, *part. 1, quaest. 3, art. 4*.

ARTICULUS IV

Quae sit integra arbor genealogica beatae Virginis ?

Ad majorem lucem, tum hucusque dictis, tum in posterum dicendis, conferendam, indubie servire apparebit, si arbor genealogica gloriosissimae Deiparentis ex integro erigatur. Apparebit etiam inde, quasi ad oculum, qualiter beatissimae Virginis origo sit vere omnium nobilissima, tanquam communis personis omnium nobilissimis, et progenitoribus antiquissimis : ita ut non aliter incipiat nisi a Deo, nec finiatur nisi in Deo. Sit ergo arbor ista sequens :

DEUS, RERUM OMNIUM AUCTOR

1. Adam
2. Seth
3. Enos
4. Cainan
5. Malaleel
6. Jared
7. Henoch
8. Mathusalem
9. Lamech
10. Noe
11. Sem
12. Arphaxat
13. Cainan
14. Sale
15. Heber
16. Phaleg

17. Ragan
18. Saruch
19. Nachor
20. Thare
21. Abram
22. Isaac
23. Jacob
24. Judas
25. Phares
26. Esron
27. Aran
28. Aminadab
29. Naasson
30. Salmon
31. Booz
32. Obed
33. Jesse
34. David

35. Salomon
36. Roboam
37. Abias
38. Asa
39. Josaphat
40. Joram
41. Ochosias
42. Joas
43. Amasias
44. Osias
45. Joatham
46. Achaz
47. Ezechias
48. Manasses

35. Nathan
36. Mathatha
37. Menna
38. Melea
39. Eliakim
40. Jona
41. Joseph
42. Juda
43. Simeon
44. Levi
45. Mathat
46. Jorim
47. Eliezer
48. Jehu


- 49. Amon
- 50. Josias
- 51. Joachaz
- 52. Jechonias
- 53. Salathiel
- 54. Zorobabel
- 55. Abiud
- 56. Eliacim
- 57. Azor
- 58. Sadoc
- 59. Achim
- 60. Eliud
- 61. Eleazer
- 62. Mathan
cujus eadem successive
uxor (Jesca) quae Mathat,
ex linea Nathan,
ex qua sunt geniti :

- 63. Joachim, 63. Jacob,
cujus filia a quo sunt
geniti :

64. MARIA Virgo, 64. Joseph, 64. Cleophas, 64. Nagge

de qua natus est Mariae cognomento
sponsus. Alphons,
cujus filii :

- 65. JESUS. 65. Jacobus 65. Heli
minor,
Josephus
Justus,
Judas
Thaddaeus,
et Simeon.



- 49. Her
- 50. Elmadan
- 51. Cason
- 52. Abdi
- 53. Melchi
- 54. Neri
- 55. Salathiel
- 56. Zorobabel
- 57. Resa
- 58. Joanna
- 59. Juda
- 60. Joseph
- 61. Semei
- 62. Mathathia

63. Machat

- 66. Nathum
- 67. Amos
- 68. Mathathias
- 69. Joseph
- 70. Janne
- 71. Melchi
- 72. Levi
- 73. Mathat

cujus uxor Jesca (seu Estha),
ex qua sunt geniti :

- 74. Heli, pater 74. Maria, quae nupsit
legalis ipsius Mathan, sacerdoti Beth-
Joseph, Mariae leemetico, a quo sunt
sponsi. geniti :
- 75. Maria, ex qua 75. Sobe, cujus 75. Anna,
est Salome, uxor filia Elisabeth, cujus filia
Zebedaei, a quo uxor Zachariae,
sunt geniti Jaco- cujus est filius
bus major et Jo- Joannes Baptista.
annes Evangelista.

76. MARIA
Virgo, de qua
natus est JESUS.

Gradus distantiae genealogiae augustissimae Deiparentis a
suo stipite sunt sequentes :

Secundum lineam Salomonis: Secundum lineam Nathan:

A Davide rege	30	A Davide rege	42
A Juda, tribus suae auctore	40	A Juda, tribus suae auctore	52
Ab Abraham patriarcha	43	Ab Abraham patriarcha	55
A Noe, restauratore gene- ris humani	54	A Noe, restauratore gene- ris humani	66
Ab Adamo, primo parente	63	Ab Adamo, primo parente	75
A Deo, omnium Creatore	64	A Deo, omnium Creatore	76

Ex dictis patet quod beatissima Virgo sit inter omnes puros homines sanguinis claritate et generis antiquitate nobilissima. « De progenie carnis, nemo nobilior Dei Matre refulsit, » ait S. ILDEPHONSUS (*Serm. 3 in Assumpt.*).

Nobilitas beatissimae Virginis non ex sola materiali serie proavorum tam excelsa est, sed inde adeo extollitur, quod cum Deo ipso, qui omnem nobilitatem creatam in infinitum excedit, in quantum subsiliit in natura humana proximam cognationem participet, cum per modum principii generantis in eum influat, et nomen vere Genetricis Dei possideat : unde ipsa est in primo et proximo consanguinitatis gradu cum Deo, quatenus in natura humana subsistente consanguinea, quod de nemine alio affirmari potest.

Ex enuntiatis etiam liquet, quod imprimis beatissima Virgo cum sponsa suo Joseph fuerit, juxta lineam paternam, consanguinea in secundo gradu; cum Cleopha pariter in secundo; cum ejus filiis, Jacobo minore, Josepho Justo, Juda Thaddaeo et Simeone (episcopo Hierosolymitano) in tertio gradu. Item liquet quod Mater Domini, juxta lineam maternam, fuerit consanguinea cum Maria Bethleemica juniore in secundo gradu; cum Salome, uxore Zebedaei, ejus filia, in secundo; cum ejusdem filiis Jacobo majore et Joanne Evangelista in tertio gradu. Similiter quod ex parte matris fuerit consanguinea cum Sobe in secundo gradu, cum Elisabeth, ejus filia, in secundo, et cum Joanne Baptista in tertio gradu.

QUAESTIO QUARTA

DE CONCEPTIONE DEIPARAE QUOAD CORPUS

ARTICULUS I

Utrum beatissima Virgo contraxerit peccatum originale quoad corpus?

Observandum est peccatum originale, quoad effectum primum (qui est reddere privatum gratia sanctificante in vindictam peccati primi parentis), esse in sola anima, quia haec sola hujus effectus est capax, uti expresse docet S. THOMAS (*part. 1-2, quaest. 83, art. 1.*); et ideo in praesenti non quaeritur an beata Virgo non contraxerit peccatum originale in corpore quoad hunc effectum primum. Sunt tamen etiam alii effectus peccati originalis quorum corpus est capax, quos ex sanctis Patribus commemorat doctor conspicuus, sub his verbis : « Patres, et praesertim sanctus Thomas, foetum necdum animatum vocant passim massam damnatam, terram maledictam, carnem peccati : agnoscunt ergo peccatum originale non in sola anima reperiri, sed etiam in corpore, imo ex corpore in animam redundare. Cum enim anima sit immediate a Deo, nulloque modo ex Adamo procedat, non potest peccatum Adami immediate in animam transfundi, sed tantum mediante corpore, cui ipsa unitur (SFONDRATI, *Innocentia vindicata*). » Merito igitur sub examen vocatur an beata Virgo contraxerit peccatum originale quoad corpus. Ad quod

Ex dictis patet quod beatissima Virgo sit inter omnes puros homines sanguinis claritate et generis antiquitate nobilissima. « De progenie carnis, nemo nobilior Dei Matre refulsit, » ait S. ILDEPHONSUS (*Serm. 3 in Assumpt.*).

Nobilitas beatissimae Virginis non ex sola materiali serie proavorum tam excelsa est, sed inde adeo extollitur, quod cum Deo ipso, qui omnem nobilitatem creatam in infinitum excedit, in quantum subsiliit in natura humana proximam cognationem participet, cum per modum principii generantis in eum influat, et nomen vere Genetricis Dei possideat : unde ipsa est in primo et proximo consanguinitatis gradu cum Deo, quatenus in natura humana subsistente consanguinea, quod de nemine alio affirmari potest.

Ex enuntiatis etiam liquet, quod imprimis beatissima Virgo cum sponsa suo Joseph fuerit, juxta lineam paternam, consanguinea in secundo gradu; cum Cleopha pariter in secundo; cum ejus filiis, Jacobo minore, Josepho Justo, Juda Thaddaeo et Simeone (episcopo Hierosolymitano) in tertio gradu. Item liquet quod Mater Domini, juxta lineam maternam, fuerit consanguinea cum Maria Bethleemica juniore in secundo gradu; cum Salome, uxore Zebedaei, ejus filia, in secundo; cum ejusdem filiis Jacobo majore et Joanne Evangelista in tertio gradu. Similiter quod ex parte matris fuerit consanguinea cum Sobe in secundo gradu, cum Elisabeth, ejus filia, in secundo, et cum Joanne Baptista in tertio gradu.

QUAESTIO QUARTA

DE CONCEPTIONE DEIPARAE QUOAD CORPUS

ARTICULUS I

Utrum beatissima Virgo contraxerit peccatum originale quoad corpus?

Observandum est peccatum originale, quoad effectum primum (qui est reddere privatum gratia sanctificante in vindictam peccati primi parentis), esse in sola anima, quia haec sola hujus effectus est capax, uti expresse docet S. THOMAS (*part. 1-2, quaest. 83, art. 1.*); et ideo in praesenti non quaeritur an beata Virgo non contraxerit peccatum originale in corpore quoad hunc effectum primum. Sunt tamen etiam alii effectus peccati originalis quorum corpus est capax, quos ex sanctis Patribus commemorat doctor conspicuus, sub his verbis : « Patres, et praesertim sanctus Thomas, foetum necdum animatum vocant passim massam damnatam, terram maledictam, carnem peccati : agnoscunt ergo peccatum originale non in sola anima reperiri, sed etiam in corpore, imo ex corpore in animam redundare. Cum enim anima sit immediate a Deo, nulloque modo ex Adamo procedat, non potest peccatum Adami immediate in animam transfundi, sed tantum mediante corpore, cui ipsa unitur (SFONDRATI, *Innocentia vindicata*). » Merito igitur sub examen vocatur an beata Virgo contraxerit peccatum originale quoad corpus. Ad quod

Respondetur : beata Virgo non contraxit peccatum originale quoad corpus.

Probatur primo, ex hac propositione damnata (*num. 73 inter Baianas*) : « Nemo praeter Christum est absque peccato originali ; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum. » Unde sic : summus pontifex damnat quod nemo praeter Christum sit sine peccato originali, et inde per ineluctabilem consequentiam infert quod aliquis sit sine peccato originali ; et quia sub hoc aliquo, salva fide, nequit intelligi alius ex posteris Adae praeter beatam Virginem, propter commune dictum, « *Omnes in Adam peccaverunt* (Rom. V, 12), » et quia hanc determinate nominat propositio, ideo beata Virgo est sine peccato originali : idque non solum quoad animam — quia propositio indefinite et sine distinctione loquitur, — sed etiam quoad corpus, praecipue quia pontifex etiam hoc damnat quod beata Virgo mortua sit propter peccatum ex Adam contractum, et quidem corporaliter, quia Baius etiam mortem corporalem peccato originali tribuebat : ut adeo verum esse debeat quod non sit mortua propter peccatum.

Probatur, secundo, ex autoritate Patrum. Sic S. LEO (*Serm. de Nativ. Dom.*) ait : « Incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum sibi humanae carnis assumpsit. » S. PETRUS DAMIANUS (*Serm. de Assumpt.*) : « Caro beatae Virginis ex Adam sumpta maculam Adae non admisit. » S. ANSELMUS (*De Concept. Virg. cap. 32*) : « Decuit Virginem tanta puritate nitere, quanta sub Deo major intelligi non potest. » Ergo juxta sanctos Patres beata Virgo non contraxit peccatum originale quoad corpus, quia immunitas ab hoc est major puritas sub Deo.

Probatur, tertio, ex conceptione immaculata quoad animam : quia beatissima Virgo est sine labe concepta quoad animam ; ergo etiam quoad corpus. — Antecedens est de fide. — Consequens probatur : anima non aliter inficitur nisi mediante

corpore, quia non fit nisi dependenter a Deo per creationem et infusionem, a quo infectionem originalem habere non potest. Ergo si beatissima Virgo fuit immunis a labe originaria quoad animam, debuit etiam fuisse immunis quoad corpus : quia alias corpus infecisset animam, et sic fuisset anima simul infecta et non infecta (1).

ARTICULUS II

Utrum Deipara acceperit corpus in sua constitutione perfectissimum, ac omnibus numeris absolutum ?

Respondetur : Virgo Deipara accepit corpus in sua constitutione perfectissimum, et omnibus numeris, seu dotibus absolutum. Haec assertio est adeo certa, ut contrarium affirmare, non solum sit rectae rationi et auctoritati adversum, sed etiam temerarium : quia nimirum nemo ex Patribus et orthodoxis Doctoribus aliud docet, ut optime notat SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 2, sect. 2*).

Probatur, primo, auctoritate S. THOMAE (*Summ. part. 4, dist. 30, quaest. 2, art. 1*) dicentis : « In beata Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis est. » Cui consonat S. ANTONINUS (*Summ. part. 3, tit. 15, cap. 10*) : « Beata Virgo optima naturalia habuit, et perfectissimam corporis complexionem et dispositionem. » Idem affirmat Albertus Magnus, Doctoris angelici quondam magister, apud DIONYSIUM CARTHUSIANUM (*De Laud. Deip. lib. 1, art. 34*) his verbis : « A planta pedis usque ad verticem capitis nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima, indecens, reprehensibile, indecorum ; imo totum fuit divinae sapientiae cir-

(1) Varias objectiones refelluntur apud SEDLMAYR, *Scholastica Mariana, part. 1, quaest. 4, art. 4*.

culo efformatum, pulcherrime circumcisum, et sine omni superfluitate plenissime ac speciosissime operatum. » Ergo omnibus numeris ac dotibus fuit absolutum.

Probatur, secundo : corpus beatæ Virginis fuit ordinatum tamquam habitaculum divini Verbi, quod dare debuit de sua substantia humanitati Christi, et cui hæc debebat esse similis, ut Filius Matri, eique unice sine patre. Ergo oportebat corpus virgineum esse perfectissimum (1).

Probatur, tertio : corpora primorum parentum debebant esse omnino perfecta, juxta illud (GEN. I, 31) : « *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* ; » et maxime quia homo debebat præsidere reliquis animalibus. Ergo, quia Deipara omnium rerum facta est Domina et Regina, debebat omnibus modis esse perfecta.

ARTICULUS III

Utrum Virgo Deipara acceperit corpus exemplum a morbis corporalibus ?

Respondetur : Virgo Deipara nunquam laboravit morbo corporali. Ita communis sententia Patrum et theologorum (cfr SUAREZ, tom. 2, part. 3, disp. 2, sect. 2).

Probatur, primo : morbi sunt de facto effectus peccati, cum pro statu innocentiae homo nullis infirmitatibus fuisset obnoxius. Sed beata Virgo, ex inferius probandis, supponitur non peccasse : ergo etiam supponitur quod nullis infirmitatibus fuerit obnoxia — Major constat ex illo Apostoli (ROM. V, 12) :

(1) In oratione quæ post antiphonam *Salve Regina* recitatur, Ecclesia utitur his verbis : *Omnipotens sempiternæ Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, præparasti*, etc. Unde infertur perfectissima corporis beatæ Virginis constitutio.

« *Per peccatum mors intravit in mundum* ; » et per consequens etiam morbi, qui mortis causæ sunt. — Confirmatur auctoritate S. THOMÆ (*Summ. part. 3, quæst. 14, art. 2*) : « Causa mortis et aliorum corporalium defectuum est duplex : una quidem remota, quæ accipitur ex parte principiorum materialium humani corporis, in quantum est ex contrariis compositum ; sed hæc causa impediatur per originalem justitiam. Et ideo proxima causa mortis et aliorum defectuum est peccatum, per quod subtracta est originalis justitia. » Ergo, quia beata Virgo non peccavit, non possunt ipsi effectus peccati attribui.

Probatur, secundo : homo pro statu innocentiae non fuisset subjectus morbis : ergo neque beata Virgo erit obnoxia. — Antecedens docet S. AUGUSTINUS (*De Civit. Dei, lib. 14, cap. 22*) his verbis : « Vivebat homo in paradiso sicut volebat, quamdiu volebat quod Deus jusserat. Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ ne illum senectæ dissolveret ; nihil corruptionis in corpore, neque ex corpore ullæ molestiæ, nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuendus extrinsecus, summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. » — Consequens probatur : beata Virgo aequè fuit innocens, imò majori innocentiae dono, seu gratia prædita, quam homo primus et quivis alius pro statu innocentiae. Ergo, cum status innocentiae in aliis fuerit exclusivus morborum tanquam effectuum peccati, erit etiam in beata Virgine horum exclusivus.

Probatur, tertio : Christus Dominus habuit corpus immune a morbis corporalibus : ergo etiam beata Virgo. — Antecedens juxta sanctos Patres et theologos est certum, et docet illud S. THOMÆ (*Summ. part. 3, quæst. 14, art. 3*) his verbis : « Accepit enim naturam humanam absque peccato, in illa puritate in qua erat in statu innocentiae. » Adeoque si corpus ante Adæ peccatum immune erat a morbis, multo magis corpus Christi. — Consequentia nunc probatur : Virgo

Deipara corpus dedit Christo; ergo, si hoc ei dedit qua immune a morbis corporalibus, debuit etiam ipsa esse immunis a morbis corporalibus.

ARTICULUS IV

Utrum Virgo Maria fuerit omnino impassibilis et immortalis?

Nota. — Certum est beatam Virginem multa fuisse passam in tota sua vita, et singulariter in Passione Domini, ubi, juxta S. BERNARDINUM (*Serm.* 61), dolor ejus tantus fuit, ut capax fuisset eidem et omnibus creaturis corporeis vitam adimendi. Similiter etiam pro certo habemus quod mortua fuerit, et inde a morte post triduum resurgens, in coelum cum corpore et anima assumpta. Quaestio igitur non movetur an ita fuerit impassibilis et immortalis ut pati et mori non potuerit, cum actu passa et mortua est; sed an fuerit impassibilis et immortalis impassibilitate status innocentiae, qua non cogebatur pati et mori, sed libero consensu, quasi renuntiando suis privilegiis: quo volebat Filium imitari, et plus pati quam omnis martyrum cohors. His observatis,

Respondetur: Virgo Deiparens fuit vere impassibilis et immortalis, ea impassibilitate et immortalitate qua non cogebatur pati et mori, sicut homo in statu innocentiae (1).

Probatur, primo, juxta S. THOMAM (*Summ. part. 1, quaest. 97, art. 2*): « Homo in statu innocentiae fuit impassibilis, et secundum animam, et secundum corpus; » et quidem ea impassibilitate et immortalitate qua non cogebatur pati et mori, uti insinuat infra dicens (*art. 4*): « Corpus hominis in statu innocentiae poterat praeservari ne pateretur laesionem


(1) Ita VEGA, in *Theologia Mariana*, num. 812 et seq. et alii.

ab aliquo duro: partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociva vitare; partim etiam per divinam providentiam, quae sic ipsum tuebatur ut nihil ei occurreret ex improvise, a quo laederetur. » Ergo etiam Virgo Deiparens erat sic impassibilis et immortalis. — Consequentia probatur: est inconveniens ut Regina careat in prima sui formatione illis perfectionibus quas habent servi, id est, primi homines in prima sui productione; praesertim cum hi gratiam omnem propter ipsam et ejus merita obtinuerint, juxta infra dicenda. Ergo cum primi homines in prima sui productione acceperint donum impassibilitatis et immortalitatis, etiam Virgo Deiparens in prima sui formatione haec dona obtinuisse dicenda erit.

Probatur, secundo: beata Virgo fuit innocens concepta, et majori gratia quam Adam et ejus posterii pro statu innocentiae futuri donata: ergo in prima sui conceptione accepit donum impassibilitatis et immortalitatis. — Consequentia probatur: privatio horum donorum impassibilitatis et immortalitatis est poena peccati de facto, uti certum est (*Per peccatum mors in hunc mundum intravit*. ROM. V, 12). Ergo hoc ipso quod beata Virgo fuerit innocens concepta, non potuit his donis privari, secus tamquam innocens esset punita (Cfr responsa ad varias objectiones, apud SELDMAYR, *Schol. Mar. part. 1, quaest. 5, art. 3*).

Probatur, tertio, testimonio S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI (*Homil. de Dormit. Deiparae*), dicentis: « Nullam e contagione peccati mortis suae causam habuit Virgo sanctissima, sed ex ipsis dumtaxat naturae principiis, quibus vel ante peccatum homo constabat: morti quippe suapte natura obnoxius erat ille, quamvis optima. Id vero beneficii Deus illi contulit, ut in eo nequaquam operante natura, sed gratia immortalitatem sibi conciliaret. Hoc ipsum et sanctissimae Deiparae contigit, quae, etsi bonis affluebat, ac peccatum nesciebat vel minimum, eadem illa quae morti addicunt homi-

nem naturae elementa gestabat, ac pariter subinde mortalis erat. Verum eam a Deo gratiam obtinuit, ut mortem, si ita voluisset, nunquam obiret, sed coelo etiamnum vitae compos inferretur. Hacce tamen uti praerogativa noluit. »



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO QUINTA

DE CONCEPTIONE DEIPARENTIS QUOAD ANIMAM


ARTICULUS I

Utrum beata Virgo potuerit a Deo praeservari a peccato originali quoad animam?

Nota. — Quaestio haec fusius tractatur a P. VASQUEZ (tom. 2, part. 3, disp. 116, cap. 1), qui varias sententias refert. — Prima docet beatam Virginem non potuisse in primo momento suae conceptionis sanctificari, sed necessario originale peccatum contrahere, hoc ipso quod in Adamo peccaverit, et sub universali lege de transfundendo peccato originali comprehensa fuerit. Pro qua refertur S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 127, art. 12*). — Secunda opinio est Deiparam Virginem in eodem conceptionis momento contraxisse peccatum originale, et fuisse sanctificatam hoc sensu, quod in primo signo rationis fuerit culpa, in altero gratia : ex ratione quod expellens et expulsum debeant esse simul, peccatum nempe et gratia, non permanenter, sed transeunter. — Tertia opinio est beatam Virginem non potuisse in primo instanti justificari, sed debuisse aliquo tempore in peccato esse, et postea primum justificari : cum duo instantia non possint sibi esse immediata. — Quarta et vera sententia haec est :

Virgo Deipara potuit in primo conceptionis momento ita justificari, ut peccatum originale non contraheret. Ita VASQUEZ (*ubi supra*).

nem naturae elementa gestabat, ac pariter subinde mortalis erat. Verum eam a Deo gratiam obtinuit, ut mortem, si ita voluisset, nunquam obiret, sed coelo etiamnum vitae compos inferretur. Hacce tamen uti praerogativa noluit. »



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO QUINTA

DE CONCEPTIONE DEIPARENTIS QUOAD ANIMAM

ARTICULUS I

Utrum beata Virgo potuerit a Deo praeservari a peccato originali quoad animam?

Nota. — Quaestio haec fusius tractatur a P. VASQUEZ (tom. 2, part. 3, disp. 116, cap. 1), qui varias sententias refert. — Prima docet beatam Virginem non potuisse in primo momento suae conceptionis sanctificari, sed necessario originale peccatum contrahere, hoc ipso quod in Adamo peccaverit, et sub universali lege de transfundendo peccato originali comprehensa fuerit. Pro qua refertur S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 127, art. 12*). — Secunda opinio est Deiparam Virginem in eodem conceptionis momento contraxisse peccatum originale, et fuisse sanctificatam hoc sensu, quod in primo signo rationis fuerit culpa, in altero gratia : ex ratione quod expellens et expulsum debeant esse simul, peccatum nempe et gratia, non permanenter, sed transeunter. — Tertia opinio est beatam Virginem non potuisse in primo instanti justificari, sed debuisse aliquo tempore in peccato esse, et postea primum justificari : cum duo instantia non possint sibi esse immediata. — Quarta et vera sententia haec est :

Virgo Deipara potuit in primo conceptionis momento ita justificari, ut peccatum originale non contraheret. Ita VASQUEZ (*ubi supra*).

Probatur, primo : Deus potest dare animae gratiam quocumque instanti, pro quo est capax, uti per se patet; atqui anima est capax gratiae statim pro primo conceptionis, seu infusionis, instanti, pro quo nempe animatio, seu conceptio quoad animam fit : ergo pro primo conceptionis instanti potest animae infundere gratiam. — Minor probatur : Deus dedit animae Adami et Evae pro omnium primo animationis, seu unionis animae cum corpore, instanti gratiam, uti pro certo habent theologi : ergo potest Deus in naturalibus pro primo instanti rebus dare formam, vel eam mutare, et dare contrariam. Sic potest Deus facere ut aqua alias naturaliter frigida sit calida, ut in balneis : ergo etiam facere potuit ut anima pro primo instanti quo carni unitur, accipiat gratiam sanctificantem.

Probatur, secundo : licet Deus fecerit legem universalem ut omnes descendentes seminaliter ex Adam contrahant peccatum originale, tamen nil obest quin a lege ista exceperit beatam Virginem, tamquam futuram suam Matrem. Sed pro casu exceptionis illa non contraxit peccatum originale, quia pro hoc casu lex illam non attingit, ut patet. Ergo potuit Deus facere ut beata Virgo non contraheret peccatum originale. — Major probatur : licet Deus universali lege dixerit : « *Omnia quae de terra sunt in terram convertentur* (ECCLI. XI, 11), » tamen Deipara Virgo fuit excepta. Item licet Deus lege universali dixerit ad Evam pro omnibus posteris : « *In dolore paries* (GEN. III, 16), » tamen, ex certo consensu theologorum, inde exempta est Virgo Deipara. Ergo, etiam licet Deus legem universalem fecerit ut omnes descendentes ex Adamo contrahant peccatum originale, tamen inde excipi potuit Virgo Maria.

Probatur, tertio : potuit Deus excipere suam Matrem a lege universali de posteris peccatum originale contracturis, si Adam peccaret, uti jam ostensum est. Et licet daretur gratis.

quod expellens et expulsus, gratia et peccatum, debeant simul stare, tamen Deus facere potuit ut gratia in beata Virgine non fuerit expellens peccatum; quia, supposita exceptione beatae Virginis a lege universali de contrahendo peccato, peccatum nunquam fuit in beata Virgine : et hoc ipso gratia non fuit expellens ibi, relate ad peccatum. — Confirmatur : in primis parentibus, Adamo et Eva, gratia non fuit expellens peccatum, quia hoc ante gratiam in illis non fuit : ergo pariter in beata Virgine gratia non fuit expellens peccatum, quia hoc in ea nunquam fuit. Accedit quod gratia non ex necessitate habeat rationem expellentis, cum possit etiam esse praeservans et impediens, uti est in primis parentibus. Ergo potest Deus, cum liber sit, beatae Virgini dare gratiam, non quae expellat, sed quae praeservet a peccato.

Probatur, quarto : si Deus nullam legem fecisset de transferenda justitia, vel peccato, in posteros; tunc posteri Adae non contraxissent peccatum originale, sive pro primo instanti, sive pro aliquo tempore. Atqui Deus, cum liber sit, potuit nullam legem facere de transferenda justitia, vel peccato. Ergo potuit facere ut beata Virgo, sicut et alii posteri Adae, non contraheret peccatum originale, sive pro aliquo tempore, sive pro primo conceptionis instanti.

ARTICULUS II

Utrum Deus, ex quo decrevit esse Filius Virginis, habuerit quasi debitum ad praeservandam Matrem suam a peccato originali?

Respondetur : Deus, ex quo decrevit esse Filius Virginis (quod factum est in primo signo divini decreti), habuit quasi debitum praeservandi Matrem ab originali labe.

Probatur, primo, ex titulo gratitudinis. Nam, ut docet

S. THOMAS (*Summ. part. 2-2, quaest. 106, art. 6*), gratitudinis officium est « ut reddat plura in recompensatione, aut certe paria. » Qui ergo voluit esse Filius, voluit quoque non esse ingratus. Cum ergo vitam a Matre acceperit infiniti pretii, debuit quoque gratiam rependere tantam, quanta non repugnat et decet. Atqui gratia praeservans ab originali est evidenter non repugnans : ergo hanc gratiam Deus ipsi dedit, ex quo voluit esse ejus Filius.

Probatur, secundo, ex titulo pietatis. Nam pietas exigit ut filius non sit durus erga propriam matrem, sed ut se exhibeat benevolum et beneficum, praesertim in malis avertendis, dum potest. Ergo cum peccatum sit summum et unicum malum, titulus pietatis exigit ut Deus suam Matrem praeservet a peccato originali. — Confirmatur : beata Virgo mallet non esse Dei Mater, non omnium creaturarum Regina, quam vel uno momento Deo esse exosa, expers gratiae, peccato foedata, et non innocens, quod fit per peccatum originale. Ergo Deus, ex quo voluit esse Filius Virginis, pietate filiali careret, si non praestaret Matri, cum possit, quod haec tantopere et praecunctis rebus aliis exoptat.

Probatur, tertio, ex titulo infinitae sapientiae, qua debitor est sibi ipsi Deus, ut nihil repugnans faciat, aut rectae rationi, vel proprio honori adversum, sed quaevis meliora ad finem a se praefixum. Sic enim concorditer docent sancti Patres, et in specie S. AUGUSTINUS (*De Quant. Animae, cap. 33*) : « Justitia summi Dei facta est, ut non modo acta sint omnia, sed etiam sic sint, ut omnino melius esse non possint. » Et adhuc (*De lib. Arbitrio, lib. 3, cap. 5*) : « Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum. » Atqui Immaculata Conceptio evidenter melior est non solum in se, sed etiam in ratione dispositionis ad esse Matris Dei, quam peccatum originale ; et Deus, tanquam aequissimus rerum aestimator hoc ipsum peccatum aspicit pro vera inimicitia, igno-

minia, infamia, dedecore et macula, eaque tali, quae si Matri inhaereret, in Filium quoque redundaret et honori Dei praejudicaret, ut notat S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 27, art. 4*) sub his verbis : « Beata Virgo non esset idonea Mater Dei, si aliquando peccasset, quia honor parentis redundat in prolem. » Unde, et per oppositum, ignominia Matris in Filium redundasset. Repugnat ergo divinae sapientiae et honori Dei permissio peccati in propria Matre ; et sic debuit Deus, debito sumpto a seipso, Matrem praeservare a peccato originali.

Objicitur : peccatum originale jam supponitur remissum quando beata Virgo fit Mater Dei : ergo ex peccato originali ipsius Matris non resultat labes vel macula praejudiciosa proli.

Respondetur quod, licet peccatum supponatur remissum, maneat tamen tales effectus, qui, et Matri Dei, et Deo ipsi qua Filio, repugnant. Si enim beata Virgo contraxit peccatum originale, manet ipsi nota feminae ob amissam animae virginitatem corruptae, non amplius innocentis, quondam Deo rebellis et inimicae, sub servitute daemonis redactae ; quae nota non solum Matri, sed et Proli repugnat. Et sane si nota relicta a peccato veniali jam remisso Matre Dei censetur indigna (uti communis sensus est inter orthodoxos, qui idecirco tenent ipsam per totam vitam suam non peccasse venialiter), tunc multo magis indigna erit nota relicta a peccato originali : quia hoc est peccatum mortale dissolvens amicitiam, et ideo multo foedius et turpius coram Deo.

ARTICULUS III

*Utrum Conceptio Immaculata sit vere in sacris
Litteris contenta ?*

Respondetur : Immaculata Conceptio beatæ Virginis, etsi non formaliter et explicite, tamen implicite et virtualiter est

in sacris Litteris vere contenta et revelata (1). Ita omnes piae sententiae assertores.

Probatur, primo, ex GENESI (III, 14 et 15): « *Inimicitias ponam inter te et mulierem. Ipsa conteret caput tuum*: » in quo textu, juxta communem Patrum et theologorum sententiam, victoria refertur Deiparae Virginis contra diabolum, in evadendo peccatum, idque praecipue originale, quia textus ait: « *Ipsa conteret caput tuum*; » caput autem peccatorum est originale, tamquam omnium peccatorum origo et radix, unde initium habuit diabolica tyrannis in genus humanum. — Neque dicatur in Hebraeo non legi « *ipsa conteret*, » sed « *ipse conteret*; » quia contra est quod viro catholico sufficere debeat in Vulgata editione legi « *ipsa conteret*. » Hanc enim CONCILIUM TRIDENTINUM, sess. 4, de editione sacrorum Librorum expresse statuit, et pro authentica declarat, praecipiendo, « ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat. » Deinde cardinalis BARONIUS (*De Verbo Dei*, lib. 2, cap. 12, num. 3) oppositum sic nervose refellit: « Etiam si multi codices Hebraici habeant *hic*, id est, *ipse*, legi tamen unum in quo erat scriptum *haec*, id est, *ipsa*; ac praeterea, remotis punctis, illam vocem Hebraicam *hic* posse interpretari *ipsa*, nimis rudis est qui nescit, et Vulgata revera interpretatur ita, quod nobis sufficiat. »

Probatur, secundo, ex CANTICO (IV, 7): « *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te*. » Quae propositio sic absolute, indefinite et universaliter prolata a Scriptura, contradictorie opponitur huic: *Macula*, qualis verissime est peccatum originale, *est in te*; adeoque haec propositio, a

(1) Sensus litteralis Scripturarum est *explicitus* seu *formalis*, vel *implicitus* seu *virtualis*. Primus est ille quem verba ipsa ex institutione habent; secundus est quem verba habent ex connexionem, implicita continentia, et legitima deductione. Uterque hic sensus est intentus a Spiritu Sancto. — De vario sensu Scripturae vide supra, *quaest. 1, art. 3.*

Spiritu Sancto dictata, excludit aperte peccatum originale a persona de qua loquitur. Loquitur autem de Maria Virgine, tum, quod etsi loqueretur de Ecclesia, tamen Ecclesia in nullo membro pulchra est et sine macula originali, nisi in beata Virgine; et sic tamen probaret Deiparam esse sine labe originali: tum quod loquens Spiritus Sanctus inducatur tamquam disserens de sua Sponsa, quae propriissime Maria est, utpote quae sola, et nulla alia, ex obumbratione Spiritus Sancti concepit.

Probatur, tertio, ex S. LUCA (I, 28): « *Ave, gratia plena*. » Dicitur beata Virgo expresse « *gratia plena*, » non quidem positive per accessum ad Deum, quia sic plena esse non potest, cum hic accessus semper major esse possit in infinitum. Semper enim augmentum sumpsit haec gratia in positivo accessu ad Deum in ipsa etiam beata Virgine, cum propter continuum meritum semper creverit in gratia usque ad finem vitae; adeoque pro tempore Annuntiationis necdum plena esse potuit. Fuit ergo plena negative per recessum a contrario, seu a peccato, hoc sensu quod fuerit praedita gratia praeservante ab omni peccato, tam originali quam actuali (prout exponitur in Salutatione angelica catechismi Bellarmini, quem Clemens VIII speciali constitutione, incipiente « *Pastoralis Romani Pontificis*, » anno 1598 edita, universae Ecclesiae usurpandum proposuit et enixe commendavit. Et certe dum angelus has voces « *gratia plena* » absolute pronuntiavit de Virgine cum salutatione ab ipso Deo facta, quae non solum affectiva sed effectiva est, debuit angelus intelligere plenitudinem quae sine defectu est: secus non foret vera simpliciter dicta plenitudo. Adeoque debuit beata Virgo in veritate fuisse plena, cum recessu praeservativo ab omni peccato originali et actuali; adeoque etiam sine jactura innocentiae et corruptione virginitatis animae. Si enim gratia originalis et primaevae innocentiae fuit collata angelis et primis parentibus, cur non

potius Matri Dei? si servis, cur non et Reginae? Et si servi quales sunt angeli possunt gloriari se esse plene innocentes, quin unquam fuerint rebelles et coram Deo rei, odibiles et detestabiles, cur non potius Dei Mater hoc dono et hac laude potiatur? praesertim quia haec ipsa laus et praerogativa eidem in tanto pretio est, ut mallet non esse Mater Dei, non esse Regina angelorum et hominum, quam non esse innocens, non esse virgo secundum animam; quam fuisse aliquando per peccatum corrupta, Deo inimica et exosa. Quando ergo angelus vocavit eam « *gratia plenam*, » revera dicere voluit eam in veritate fuisse gratia plenam, cum praeservatione ab omni peccato, non solum actuali, sed etiam originali (1).

ARTICULUS IV

Utrum sit de fide beatam Virginem esse sine labe originali conceptam?

Respondetur: de fide est quod beata Virgo sit sine labe originali concepta.

Probat ex Bulla dogmatica « *Ineffabilis Deus* » a Pio IX in Concilio Vaticano oecumenico, die 8^a anni 1854, promulgata et ad universum orbem directa.

Ita loquitur summus Pontifex: « Plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae conceptione defi-

(1) Hic esset locus demonstrandi veritatem Immaculatae Conceptionis fuisse omnino ab apostolis agnita et fidelibus tradita: item quod Immaculatae Conceptioni testimonium dant omnium saeculorum sancti Patres et Doctores, aequae ac Concilia Ecclesiae et Summi Pontifices; sed haec materia potius spectat ad Apologeticam et Historiam. Cfr SEDL-MAYR, *Scholastica Mariana*, part. 1, *quaest.* 6, *art.* 5 et seq.; PERRONE, *De Immaculata B. M. V. Conceptione*; MALOU, *l'Immaculée Conception*, et alii multi.

nienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum antistitum, ac fidelium conspiratio, et insignia Praedecessorum nostrorum acta, constitutiones, mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro iudicio immaculatam ipsius Virginis conceptionem sancire, definire, atque ita pietissimis catholici orbis desideriis, Nostraeque in ipsam sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa unigenitum Filium suum, Dominum nostrum Jesum Christum, magis atque magis honorificare: cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur. »

« Quare, postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejuniis privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium ejus offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram dirigere et confirmare dignaretur, implorato universae coelestis curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante: ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum; auctoritate Domini nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris generis humani, ab omni originalis culpa labe praeservatam, immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter, si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac porro sciant se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae

defecisse; ac praeterea facto ipso semet poenis a jure statutis subjicere, si, quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo, significare aussu fuerint. »



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO SEXTA

DE PLENITUDINE GRATIAE ET VIRTUTUM PRO PRIMO
CONCEPTIONIS INSTANTI

ARTICULUS I

*Utrum beata Virgo fuerit gratia plena, et habuerit,
pro primo conceptionis instanti, plenitudinem gra-
tiae jam consummatam ?*

Ad primum quaesitum respondetur : beata Virgo verissime et catholice dicitur gratia plena.

Probat, primo, ex versione Vulgatae, quae pro regula fidei habenda est, in qua expresse dicitur « *gratia plena* (Luc. I, 28). » Scripturae consonat constans Ecclesiae traditio in *Ave Maria* contenta, et tota sanctorum Patrum Latinorum praecipue antiquitas. Sic enim dictum locum reddunt S. AMBROSIIUS (*In Luc. I*), S. AUGUSTINUS (*Enchirid. cap. 36*), S. SOPHONIUS (*Serm. de Assumpt.*), et alii quos citat Maldonatus in haec verba.

Probat, secundo, ex modo salutationis angelicae, quo angelus expresse ostendit Virginem non esse solum gratiam consecutam, sed singulari et eminentiori modo; et tali gratiae plenitudine repletam, cui nemo alius inter caeteros justos poterit exaequari. Etenim angelus ad Virginem ingressus non ita salutavit ut Raphael Tobiam (TOB. XV, 11), ut Gabriel

008773

defecisse; ac praeterea facto ipso semet poenis a jure statutis subjicere, si, quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo, significare aussu fuerint. »



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO SEXTA

DE PLENITUDINE GRATIAE ET VIRTUTUM PRO PRIMO
CONCEPTIONIS INSTANTI

ARTICULUS I

*Utrum beata Virgo fuerit gratia plena, et habuerit,
pro primo conceptionis instanti, plenitudinem gra-
tiae jam consummatam?*

Ad primum quaesitum respondetur : beata Virgo verissime et catholice dicitur gratia plena.

Probat, primo, ex versione Vulgatae, quae pro regula fidei habenda est, in qua expresse dicitur « *gratia plena* (Luc. I, 28). » Scripturae consonat constans Ecclesiae traditio in *Ave Maria* contenta, et tota sanctorum Patrum Latinorum praecipue antiquitas. Sic enim dictum locum reddunt S. AMBROSIIUS (*In Luc. I*), S. AUGUSTINUS (*Enchirid. cap. 36*), S. SOPHONIUS (*Serm. de Assumpt.*), et alii quos citat Maldonatus in haec verba.

Probat, secundo, ex modo salutationis angelicae, quo angelus expresse ostendit Virginem non esse solum gratiam consecutam, sed singulari et eminentiori modo; et tali gratiae plenitudine repletam, cui nemo alius inter caeteros justos poterit exaequari. Etenim angelus ad Virginem ingressus non ita salutavit ut Raphael Tobiam (TOB. XV, 11), ut Gabriel

008773

Zachariam (Luc. I, 13), sed singulari modo, ut Virgo turbata sit in salutatione ejus, id est, ut BEDA (*Comment.*) in dictum locum ait : « Pavebat cum prudentia, quia benedictionis novam formam mirabatur, quae nusquam ante lecta est, nusquam ante comperta; » dum nempe ab angelo audivit nuntiari et affirmari : « *gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus;* » et postea addit : « *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur :* » ex quo intellexit per hanc salutationem sibi indicari quod sit in Matrem Dei electa, et inde ea plenitudo gratiae sibi attributa, qua omnes angelos et homines excederet (1).

Ad secundum quaesitum, observandum est plenitudinem gratiae aliam esse absolutam, et aliam respectivam. *Absoluta* censetur quae habet illum gradum, quem juxta connaturalem et ordinariam providentiam tale subjectum habere potest; et si semel nacta est hunc gradum, censetur gratia consummata. Plenitudo *respectiva* censetur, quae habet illum gradum qui sufficit et necessarius est ad talem statum, munus aut dignitatem, quem tale subjectum tenet (2). Quaestio ergo nunc est de plenitudine absoluta: utrum nempe beata Virgo, pro primo conceptionis instanti, non solum habuerit plenitudinem gratiae respectivam, sed omnino absolutam et consummatam, ita ut,

(1) Docent theologi non pauci, cum SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 3, sect. 1*), quod gratia beatæ Virginis sit tanta, non solum in vitae termino, sed jam pro primo conceptionis instanti, ut superet gratiam consummatam omnium sanctorum hominum et angelorum simul sumptorum. Cfr. SEDLMAYR, *Scholast. Mar. part. 1, quaest. 10, art. 2*.

(2) Hoc sensu dictum est Deiparam Virginem jam fuisse plenam gratia ante incarnationem divini Verbi, quia angelus ante istam jam plenam salutavit; imo jam fuisse plenam pro primo conceptionis instanti, quia jam pro tunc erat futura Mater Dei; et inde jam accepit gratiam in illo gradu, in quo erat sufficiens et necessaria dispositio ad maternitatem Dei.

juxta connaturalem et ordinariam providentiam, augeri non amplius potuerit, quemadmodum de Christo Domino dicitur? Hoc observato,

Respondetur: beatissima Virgo non habuit plenitudinem gratiae consummatam, id est, quae non amplius potuerit augeri per meritum, statim pro primo conceptionis suae instanti, vel ante vitae terminum. Est communis sententia theologorum, et certa, ut docet SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 4, sect. 1*).

Probatur, primo, ex sacra Scriptura: nam ibi dicitur (Prov. IV, 18): « *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem,* » id est, usque ad statum gloriae; quae etiam in beata Virgine verum habet, quia aequae viatrix erat ac alii justis, etiam postquam illam angelus Gabriel plenam gratiae dixit, quia statim addidit: « *Spiritus Sanctus superveniet in te* (Luc. I, 35); » nimirum, sicuti ait S. BERNARDUS (*In loc cit.*), « ut superimpleret illam et abundantiori gratia cumularet. » Unde RUPERTUS (*In Cant. lib. 6*) inquit: « Virgo in sua prima sanctificatione fuit ut aurora, in Filii conceptione ut lux, in morte ut sol; » adeoque semper crevit in gratia.

Probatur, secundo, ex CONCILIO TRIDENTINO (*sess. 6, cap. 24*), quod anathemate ferit asserentes justitiam, aliquando acceptam, non augeri coram Deo per bonas operationes in viatoribus: qualis sine dubio etiam erat Deipara Virgo. Ergo haec ante vitae terminum non poterat habere totam plenitudinem gratiae ut absolutam, quam modo habet, quia secus operationes ipsius, labores, tolerantiae, et virtutum actus, non causassent in ipsa novum meritum et augmentum divinae gratiae.

Probatur, tertio: beata Virgo, ante vitae mortalis terminum, non fuit in statu comprehensoris, sed tantum viatoris tendentis ad hoc, ut gloriam mereatur quam connaturalem

non habet : ergo nunquam potuit habere gratiam consummatam ante vitae terminum.

ARTICULUS II

Utrum beata Virgo habuerit usum rationis a primo conceptionis instanti, et retinuerit?

Ad primum quaesitum respondetur : beata Virgo habuit actualem et perfectum usum rationis pro primo conceptionis instanti. Ita communis sententia, quam tenet SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 4, sect. 7*) cum aliis non paucis (1).

Probatur, primo : beatissima Virgo non fuit subjecta Adamo ut capiti morali, seu in his quae ad usum liberi arbitrii pertinent : ergo debuit habere proprium et personalem usum rationis. — Probatur antecedens : beata Virgo est in ordine et serie divini decreti Mater moralis Adami, habens eum pro filio in ordine ad recipiendam gratiam ; eorum nempe beata Virgo Mater est quorum Christus pater est, quia eatenus primogenita vocatur, quatenus Mater appellatur, ut notat sanctus ANTONINUS (*Summ. part. 1, tit. 15, cap. 14*, his verbis : Quod autem est primum in unoquoque genere, est quasi causa aliorum. — Consequentia probatur : usus liberi arbitrii requirebatur ut cum libertate primam justificationis gratiam acciperet, caput serpentis contereret, inimicitias ibidem a Deo praedictas contra diabolum eventui daret. Ergo beata Virgo habuit usum rationis pro primo conceptionis instanti.

Confirmatur : primi parentes et angeli, ex communi sententia, conditi sunt cum actuali usu rationis : ergo negandum id pariter non est de beata Virgine. — Consequentia probatur

(1) Cfr. VASQUEZ (*tom. 2, part. 3, dist. 119, cap. 3*), SALAZAR (*De Concept. B. Virg. cap. 32, num. 39*), SALMERON (*tom. 3, tract. 12*), VEGA (*Theol. Mar. num. 953*), et alii apud ipsum.

ex regula generali a Doctoribus et Patribus tradita, quam speciatim adducit S. BERNARDUS (*Epist. 174, ad Can. Lugd.*) : « Quod vel paucis mortalium est concessum, fas non est credere tantae Virgini esse denegatum. » Et S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 27, art. 1*) : « Rationabiliter creditur quod illa quae genuit Unigenitum plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis majora privilegia gratiae acceperit. »

Probatur, secundo, specialiter exemplo sancti Joannis Baptistae ; nam huic in utero matris concessus fuit usus rationis : ergo magis attribuendus est Virgini Deiparae. — Antecedens probatur ex S. LUCA (I, 44), ubi dicitur : « *Exsultavit in gaudio infans in utero meo.* » In quod ORIGENES (*Homil. 7*) ait : « Licet vox *exsultandi* simpliciter dicta subinde metaphorice in Scriptura sumatur, ut denotet simplicem motum externum gesticulationis ; nihilominus *exsultare in gaudio* nunquam invenitur secundum metaphoram dictum. » Unde communiter Patres, tam Graeci quam Latini, in hac expositione conveniunt quod significet proprium gaudii affectum cum vera cognitione et usu rationis : in specie S. CHRYSOSTOMUS (*Serm. 88*), S. AUGUSTINUS (*De Cons. Evang. cap. 15*), et alii (1). Sicut ergo de Joanne id asserunt Patres, ita a fortiori tenendum est de beata Virgine ; adeo ut Suarez prorsus improbabile judicet assertum quorundam, qui hoc privilegium admittunt in Joanne et negant in Virgine : cum ex principio communiter posito privilegium gratiae negari non possit beatae Virgini, quod conceditur alicui puro homini, seu abnegari reginae quod tribuitur servo.

Objicitur : sanctus THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 27, art. 3*) negat quod beata Virgo usum rationis habuerit in utero matris, ex ratione quod « hoc sit speciale privilegium Christi. »

(1) Cfr. SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 4, sect. 7*).

Ad quod respondetur 1° sanctum Thomam non tractare ex proposito hanc quaestionem, sed tantum incidenter; 2° ratio quam affert non obstat, quia non intendimus beatæ Virgini attribuere usum rationis cum eo privilegio quo Christus gaudebat, nimirum cum visione intuitiva Dei, quatenus unioni hypostaticæ ex jure debita: cujusmodi debitum in beata Virgine non agnoscimus; et sic nihil derogatur gloriæ Christi, sed magis consulitur honori Christi Domini, dum Matri ejus defertur ex meritis Christi.

Ad secundum quaesitum respondetur: Usus rationis in beata Virgine fuit permanens per totam vitam (1).

Probatur: Dei opera sunt perfecta, et ejus dona sine poenitentia; ita ut non auferantur sine culpa, praesertim quando dantur in utilitatem, perfectionem et sanctificationem suscipientium. Atqui usus rationis beatæ Virgini pro primo instanti datus est talis conditionis, quia est donum Dei conferens ad majorem perfectionem suscipientis: nempe ad constans incrementum gratiæ. Ergo est permanens et pro tota vita datus.

Probatur, secundo, exemplo sancti Joannis Baptistæ. Nam ut S. AMBROSIIUS (*In Luc. II, lib. 2*) habet de mora Mariæ cum Elisabeth, ait Joannem crevisse in gratia illis tribus mensibus ex praesentia Virginis. Item ex S. CHRYSOSTOMO (*Homil. 38 in Matth.*), qui ostendit sanctum Joannem a Spiritu Sancto motum et illuminatum in eremum abiisse, ut divinae contemplationi vacaret. Ergo multo magis id de Maria Virgine censendum est, quod usu rationis praedita in tertio anno templum adierit, ibi perpetuæ contemplationi vacatura; et sic si ibi usum rationis habuit, non est ratio cur non semper habuerit.

(1) Ita SUAREZ (ubi supra, *disp. 4*), VASQUEZ (*tom. 2, part. 3, disp. 119, cap. 4*), cum S. BERNARDINO SENENSI (*Serm. 51, cap. 2*) et aliis theologis.

ARTICULUS III

Utrum beata Virgo habuerit fidem, eamque perfectam, statim a primo conceptionis instanti?

Ad primum respondetur: beata Virgo habuit fidem statim in primo conceptionis instanti. Ita communis sanctorum Patrum et Doctorum.

Probatur: quia fides divina est fundamentum sanctitatis in viatore, juxta illud Apostoli (HEBR. II, 16): "*Accedentem ad Deum oportet credere.*" Sed beata Virgo statim ab instanti conceptionis fuit viatrix, et sancta per justitiam originalem: ergo pro tunc habuit fidem.

Ad secundum respondetur: beata Virgo, jam pro primo conceptionis instanti, habuit fidem perfectam, ex parte tum subjecti, tum objecti.

Probatur, quoad primam partem, de fide perfecta ex parte subjecti: nam beata Virgo accepit gratiam sanctificantem ex parte subjecti, seu intensive in gradu tam perfecto, ut per hunc omnes sanctos superet: ergo etiam fidem intensive ex parte subjecti perfectam, quia fides est proprietas gratiæ, quæ consequitur ipsam gratiam.

Probatur, quoad secundam partem, quod beata Virgo habuerit fidem perfectam ex parte objecti: quia, statim a principio, distincte per fidem explicitam cognovit mysteria Trinitatis et Incarnationis; tum quod pertineant ad primariam fidei perfectionem, quam angeli et Adam habuerunt in prima sua sanctificatione; tum quod per Christi merita fuerit sanctificata, adeoque etiam per fidem in Christum; tum denique quod sanctus Joannes Baptista in utero cognoverit Christum, cujus erat praecursor: ergo multo magis beata Virgo cognovit eum, cujus erat Mater futura.

Ad quod respondetur 1° sanctum Thomam non tractare ex proposito hanc quaestionem, sed tantum incidenter; 2° ratio quam affert non obstat, quia non intendimus beatæ Virgini attribuere usum rationis cum eo privilegio quo Christus gaudebat, nimirum cum visione intuitiva Dei, quatenus unioni hypostaticæ ex jure debita: cujusmodi debitum in beata Virgine non agnoscimus; et sic nihil derogatur gloriæ Christi, sed magis consulitur honori Christi Domini, dum Matri ejus defertur ex meritis Christi.

Ad secundum quaesitum respondetur: Usus rationis in beata Virgine fuit permanens per totam vitam (1).

Probatur: Dei opera sunt perfecta, et ejus dona sine poenitentia; ita ut non auferantur sine culpa, praesertim quando dantur in utilitatem, perfectionem et sanctificationem suscipientium. Atqui usus rationis beatæ Virgini pro primo instanti datus est talis conditionis, quia est donum Dei conferens ad majorem perfectionem suscipientis: nempe ad constans incrementum gratiæ. Ergo est permanens et pro tota vita datus.

Probatur, secundo, exemplo sancti Joannis Baptistæ. Nam ut S. AMBROSIIUS (*In Luc. II, lib. 2*) habet de mora Mariæ cum Elisabeth, ait Joannem crevisse in gratia illis tribus mensibus ex praesentia Virginis. Item ex S. CHRYSOSTOMO (*Homil. 38 in Matth.*), qui ostendit sanctum Joannem a Spiritu Sancto motum et illuminatum in eremum abiisse, ut divinae contemplationi vacaret. Ergo multo magis id de Maria Virgine censendum est, quod usu rationis praedita in tertio anno templum adierit, ibi perpetuæ contemplationi vacatura; et sic si ibi usum rationis habuit, non est ratio cur non semper habuerit.

(1) Ita SUAREZ (ubi supra, *disp. 4*), VASQUEZ (*tom. 2, part. 3, disp. 119, cap. 4*), cum S. BERNARDINO SENENSI (*Serm. 51, cap. 2*) et aliis theologis.

ARTICULUS III

Utrum beata Virgo habuerit fidem, eamque perfectam, statim a primo conceptionis instanti?

Ad primum respondetur: beata Virgo habuit fidem statim in primo conceptionis instanti. Ita communis sanctorum Patrum et Doctorum.

Probatur: quia fides divina est fundamentum sanctitatis in viatore, juxta illud Apostoli (HEBR. II, 16): "*Accedentem ad Deum oportet credere.*" Sed beata Virgo statim ab instanti conceptionis fuit viatrix, et sancta per justitiam originalem: ergo pro tunc habuit fidem.

Ad secundum respondetur: beata Virgo, jam pro primo conceptionis instanti, habuit fidem perfectam, ex parte tum subjecti, tum objecti.

Probatur, quoad primam partem, de fide perfecta ex parte subjecti: nam beata Virgo accepit gratiam sanctificantem ex parte subjecti, seu intensive in gradu tam perfecto, ut per hunc omnes sanctos superet: ergo etiam fidem intensive ex parte subjecti perfectam, quia fides est proprietas gratiæ, quæ consequitur ipsam gratiam.

Probatur, quoad secundam partem, quod beata Virgo habuerit fidem perfectam ex parte objecti: quia, statim a principio, distincte per fidem explicitam cognovit mysteria Trinitatis et Incarnationis; tum quod pertineant ad primariam fidei perfectionem, quam angeli et Adam habuerunt in prima sua sanctificatione; tum quod per Christi merita fuerit sanctificata, adeoque etiam per fidem in Christum; tum denique quod sanctus Joannes Baptista in utero cognoverit Christum, cujus erat praecursor: ergo multo magis beata Virgo cognovit eum, cujus erat Mater futura.

Objicitur : si beata Virgo habuisset fidem perfectam statim a principio, non potuisset amplius in illa crescere; sed crevit in illa, sicut in gratia et aliis virtutibus per augmentum meriti: ergo non habuit fidem perfectam statim a principio.

Sed respondetur : beata Virgo non habuit quidem fidem cum perfectione jam consummata, quoad intensionem et extensionem, cum revera in fide potuerit proficere; habuit tamen fidem cum illa perfectione quae omnem dubitationis modum excludit, cum statim a principio caruerit fomite peccati; item cum perfectione intensionis gratiae proportionate respondente. Sicut ergo gratia beatæ Virginis, pro primo conceptionis instanti, fuit intensissima, et intensior quam in omnibus aliis justis, angelis et hominibus, ita etiam fides beatæ Virginis erat intensionis illius, quae gratiae responderet.

ARTICULUS IV

Utrum beata Virgo habuerit, cum prima sanctificatione, omnes habitus virtutum scientiasque infusas?

Ad primum quaesitum respondetur 1^o : beata Virgo habuit omnes virtutes per se infusas. Ita certa sententia juxta SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 4, sect. 2*).

Probatur ratione : quia virtutes infusae per se ex natura rei consequuntur gratiam tamquam proprietates. Ergo cum beata Virgo fuerit gratia plena, fuit etiam plena virtutibus, sine alicujus carentia vel defectu.

Respondetur 2^o : beata Virgo etiam habuit, pro primo conceptionis instanti, virtutes morales per accidens infusas.

Probatur : virtutes morales per accidens infusae dicuntur, quae per se et ex suo genere sunt acquisitae et connaturales in ordine ad nostros affectus moderandos. Sed cum hoc praestare non possint virtutes per se infusae, tamquam ordinis superio-

ris secum facile compatientes passiones effrenatas, debuerunt in beata Virgine praestare virtutes morales per accidens infusae : ergo fuerunt in beata Virgine. — Confirmatur : Adam et Eva habuerunt, pro prima sanctificatione, infusas virtutes morales, quae per accidens infundi solent, ut docet S. THOMAS (*Summ. part. 1, quaest. 95, art. 3*) : ergo easdem habuit beata Virgo. — Consequens probatur ex regula B. ALBERTI MAGNI (*De B. Virg. cap. 96*), dicentis principium esse ex terminis notissimum, prorsus nemini ipsa inferiori concedi posse privilegium, quod ipsi vocetur in dubium. Est autem verum privilegium virtutes habere statim pro primo instanti, quam eas primum successive postea acquirere, nec possent in ea intensione statim acquiri, in sua sunt infusae, et juxta infusionis gradum iterum intensae et duplicatae.

Ad secundum quaesitum, nempe, utrum beata Virgo habuerit scientias infusas, respondetur : beata Virgo habuit, praeter fidem, ab instanti conceptionis, scientiam per se infusam supernaturalem.

Probatur ex S. THOMA (*Summ. part. 3, quaest. 27, art. 5*) : « Non est dubitandum quin beata Virgo acceperit excellenter donum sapientiae et gratiam virtutum, et etiam gratiam prophetiae. Non tamen accepit ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundum quod conveniebat conditioni ipsius. Sapientiae enim usum habuit in contemplando, secundum illud (*Luc. II, 19 et 51*) : *Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.* » — Confirmatur auctoritate S. ANSELMI (*Homil. in Luc. X, 38*) dicentis : « Ergo Dei virtus et Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiae et scientiae in Maria. » Sapientia

autem et scientia infusa circa supernaturalia coincidunt et pro eodem sumuntur (1).

ARTICULUS V

Utrum beata Virgo, per primam sanctificationem, donum perseverantiae et confirmationem in gratia acceperit, ita ut nunquam in vita venialiter peccaverit?

Ad primum quaesitum respondetur : est de fide certum beatam Virginem nunquam amisisse gratiam quam in prima sanctificatione accepit, atque ideo fuisse in gratia confirmatam, et infallibile perseverandi donum accepisse. Ita SUAREZ (tom. 2, part. 3, disp. 4, sect. 5); fuitque definitum in Concilio Claramontano sub Urbano II, et constat ex unanimi Ecclesiae consensu, et traditione. De beata Virgine in Scripturis dicitur (CANT. IV, 7) : « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. » Item (SAP. I, 14) : « Non habitabit Sapientia in corpore subdito peccatis. » Et (LUC. I, 28) salutatur « gratia plena : » ea nempe plenitudine qua semper verum est « Dominus tecum, » quod simul additur, et quae includit donum perseverantiae et confirmationem in gratia : quia sine his non esset verum quod sit gratia plena, cum donum perseverantiae et confirmatio in gratia sint singularissima gratia, et verum complementum ejus.

Ad secundum quaesitum respondetur : quasi fide divina certum est quod beata Virgo nullum peccatum veniale com-

(1) Praeter scientiam infusam supernaturalem, theologi Mariani communiter conveniunt beatam Virginem etiam habuisse scientiam per se infusam naturalem, et gratias gratis datas, quas Apostolus (1 COR. XII) novem enumerat. Ita S. ANTONINUS (Summ. part. 1, tit. 4), S. BERNARDIN.

miserit. Ita docent communiter theologi, ex TRIDENTINO (sess. 6, can. 23), ubi legitur : « Si quis hominem justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare nisi speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit. » Adeoque, teste Tridentino, Ecclesia tenet beatam Virginem nunquam peccasse venialiter ; et sic est de fide in traditione et consensu Ecclesiae fundata.


Probatur rursus ex sanctis Patribus, quorum agmen ducit S. AUGUSTINUS (De Nat. et Grat. cap. 36), universaliter excipiens beatam Virginem a peccatis per haec verba : « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, dum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. Inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. » Eodem modo loquuntur communiter Patres, quibus concordat S. THOMAS (Summ. part. 4, dist. 44, quaest. 1, art. 3) : « Puritas intenditur per recessum a contrario ; et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit : et talis fuit puritas beatae Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit. »

Probatur denique ratione : quodvis peccatum, etiam veniale, est quoddam dedecus et ignominia coram Deo ; quae, si in Matre fuisset, in Deum tanquam Filium redundasset : sicut honor parentum redundat in prolem (Gloria filiorum patres eorum. PROV. XVII, 6). Sed hac ratione non posset esse idonea Mater Dei, si nimirum fuisset Deo ignominiosa, et ei

SEN. (De Concept. B. Virg.), SUAREZ (Comment.), SEDLMAYR (Sc'ol. Mar. part. 1, quaest. 10, art. 6).

tamquam Filio hanc labem attulisset : ergo verum est quod sit exempta a peccato etiam veniali (1).

(1) Addi posset quod beata Virgo nunquam habuit fomitem peccati, qui ex privatione justitiae originalis in nobis nascitur, quique nihil aliud est quam concupiscentia, seu pugna ab Apostolo descripta (Gal. V, 17, et Rom. VII, 7 : *Caro concupiscit adversus spiritum*). Cfr SUAREZ (tom. 2, part. 3, disp. 4, sect. 5), VEGA (Theol. Mar. num. 857).



PARS SECUNDA

DE BEATA VIRGINE


PRO STATU CHRISTUM CONCOMITANTE

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamquam Filio hanc labem attulisset : ergo verum est quod sit exempta a peccato etiam veniali (1).

(1) Addi posset quod beata Virgo nunquam habuit fomitem peccati, qui ex privatione justitiae originalis in nobis nascitur, quique nihil aliud est quam concupiscentia, seu pugna ab Apostolo descripta (Gal. V, 17, et Rom. VII, 7 : *Caro concupiscit adversus spiritum*). Cfr SUAREZ (tom. 2, part. 3, disp. 4, sect. 5), VEGA (*Theol. Mar. num. 857*).




PARS SECUNDA

DE BEATA VIRGINE

PRO STATU CHRISTUM CONCOMITANTE

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO PRIMA

DE VIRGINITATE GLORIOSISSIMAE DEIPARENTIS

ARTICULUS I

An Maria Virgo semper fuerit virgo?

Respondetur 1° : beata Virgo usque ad conceptionem Filii remansit virgo. Ita assertio certa de fide; et constat illis verbis (Luc. I, 26) : « *Missus est Gabriel angelus ad Mariam, virginem desponsatam viro;* » adeoque virgo ibi fuit dum desponsata est Joseph, et mansit usque ad conceptionem Christi, quia ita sonant verba Evangelistae. Et ideo circa hoc communis est assensus.

Respondetur 2° : beata Virgo, non viri semine, sed sola Spiritus Sancti operatione Christum concepit; adeoque virgo fuit in conceptione Christi. Est articulus fidei, definitus in CONCILIO LATERANENSI primo (*consult. 5, can. 3*), et constat evidenter ex sacra Scriptura (MATTH. I, 18) his verbis : « *Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto;* » et versu 20 : « *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* » De Joseph autem dicitur ibidem (v. 25) : « *Et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* » Et cum ipsa Virgo ex angelo quaereret quomodo conceptura esset, eo quod virum non cognosceret et votum virginitatis edidisset, respondit Gabriel (Luc. I, 35) : « *Spiritus Sanctus*

superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : » ex quibus utique manifestum est quod in conceptione Christi virgo permanserit.

Respondetur 3^o: Mater Christi etiam in partu virgo remansit. Est rursus de fide catholica, definita a Martino V in CONCILIO LATERANENSI primo (*consult. 5, can. 3*) his verbis: « Si quis, secundum sanctos Patres, non confitetur proprie, et secundum veritatem, Dei Genitricem sanctam, semperque virginem et immaculatam Mariam ipsum Dei Filium, qui a Deo Patre ante saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto et incorruptibiliter eum genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, condemnatus sit. » Ubi non solum haec veritas definitur illis verbis, *semperque virginem*, sed etiam illis, *incorruptibiliter genuisse, et indissolubili permanente*, etc. Si enim in partu non mansisset virgo, fuisset virginitas soluta, et sic non esset indissolubilis. — Probatur etiam ex SYMBOLO APOSTOLORUM, in quo Ecclesia profitetur: « *Natus ex Maria Virgine.* » Non posset autem dici natus de virgine, si haec non peperisset ut virgo, si nempe in partu virgo non mansisset. — Rursus dicitur (ISAI. VII, 14): « *Ecce virgo concipiet et pariet filium;* » adeoque, sicut et in conceptione, ita et in partu mansit virgo. Quod etiam confirmat S. MATTHAEUS (I, 22-23) dicens: « *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam, dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium.* » — Denique haec veritas etiam definitur in CONCILIO CONSTANTINOPOLITANO quinto generali (*consult. 8*), ut adeo indubitanter sit de fide.

Respondetur 4^o: beata Virgo etiam post partum virgo permansit: adeoque perpetuo et semper virgo fuit. Ita constans traditio Ecclesiae, et est veritas fide catholica tenenda, quia definita in CONCILIO LATERANENSI primo (*consult. 5*

can. 3), verbis supra citatis, ubi definitur: « semperque virginem, et indissolubili permanente, et post partum, ejusdem virginitate. » — Probatur etiam ex sacra Scriptura (EZECH. XLIV, 2-3), ubi legitur: « *Dixit Dominus ad me: Porta haec clausa erit, et vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam; eritque clausa Principi;* » sive, ut exponit S. HIERONYMUS (*Advers. Helvid.*): « *Eritque clausa in honorem Principis.* » — Probatur tandem ratione: quia impietas est Virginem Deiparam facere sacrilegam; sed si post partum non mansisset virgo, fuisset sacrilega; quia post emissum virginitatis votum vacasset operi conjugali: ergo longe absit dicere quod post partum non manserit virgo.

Objicitur: in Evangelio dicitur (MATTH. I, 25): « *Joseph non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum;* » ubi vox *donec* insinuat quod postea eam Joseph cognoverit, et vox *primogenitum* indicat quod praeter Christum habuerit alios filios, secundo et tertio genitos.

Ad quod respondetur prorsus infirmum esse hoc argumentum, quia, imprimis, particula *donec* simpliciter denotat rem non antea factam; num vero de caetero facta sit, per se silet. Sic dicitur (GEN. VIII, 7): « *Corvus non revertebatur, donec sicarentur aquae;* » quod praecise significat corvum non esse reversum ante aquas siccitas; non vero innuit quod postea sit reversus, quia nunquam est reversus (1). Et hic etiam S. Matthaeus de Joseph dicit: « *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum.* » Per quod solum significat quod ante partum non cognoverit; et hic est certissimus sensus a sanctis Patribus declaratus (S. HIERONYMUS, *Advers. Helvid.*; S. CHRYSOSTOMUS, *Homil. 5 in Matth.*; S. GREG.

(1) Alterum exemplum videre est in libro JOB (XXVII, 5): « *Non recedam ab innocentia mea donec deficiam,* » seu moriar.

NAZ. Orat. 36). — Porro idem est de *primogenito*; nam Christus nuncupatur Mariae primogenitus, non quod post eum alius, sed quod ante illum nullus sit genitus a Maria: quo sensu in Scriptura saepe unigeniti vocantur primogeniti; quia hoc ipso quod quis unigenitus sit, nemo ante eum genitus est, et sic est in veritate primogenitus (1). Itaque de Christo recte dicitur primogenitus negative, nempe quatenus vere importat negationem prioris fratris ante se geniti; licet non fuerit positive per relationem ad fratrem sequentem: quod ad veritatem propositionis non requiritur.

ARTICULUS II

Utrum beata Virgo habuerit semper propositum virginitatis, illudque voto firmaverit?

Ad primum quaesitum respondetur: beata Virgo semper, et jam ab ipso principio usus rationis, habuit absolutum et firmum propositum servandi perpetuam virginitatem. Ita SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 6, sect. 1*) et plurimi apud ipsum.

Probatur, primo: non potest dubitari quin beata Virgo semper habuerit propositum faciendi id quod est perfectius et quod Deo magis placet; cum a primo usu rationis semper fuerit Deo conjunctissima, et quidem longe perfectius quam alii sancti qui Deo consecrarunt castitatem. Sed virginitas per se melior est, et perfectior, Deoque gratior, quam voluntas generandi liberos, ut constat ex Apostolo (1 COR. VII, 38). Ergo beata Virgo semper habuit propositum virginitatis.

Probatur, secundo, ex S. THOMA (*Summ. part. 3, quaest. 28, art. 4*), ubi dicit: « Virginitas in Matre Dei praecipue debuit

(1) Cfr Exod. IV, 22, XII, 29.

pollere; » quod, articulo primo illius quaestionis, probat propter quatuor: 1° propter dignitatem Patris Christum mittentis, ut solus esset Pater; 2° propter proprietatem Filii, ut solus esset proprius; 3° propter humanitatem Christi exemptam ab infectione concupiscentiae et peccati originalis; 4° propter nos, ut non ex voluntate carnis, sed ex Deo dicamur geniti. Ergo, quia propositum dandi operam generationi liberorum obest huic perfectioni virginitatis, non voluit beata Virgo unquam dare operam generationi liberorum, sed semper mansit in proposito virginitatis.

Ad secundum quaesitum respondetur: beata Virgo suum propositum virginitatis perpetuae firmavit voto.

Probatur, primo, ex verbis ipsius Virginis ad angelum annuntiantem prolatis (LUC. I, 34): « *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* » ubi non loquitur de cognitione faciali, sed de congressu maritali, uti per se clarum est. Neque loquitur de congressu praesenti et praeterito tantum, sed etiam de futuro. Si enim tantum significaret se virum non novisse hucusque et nosse, fuisset angelo in promptu respondere: Si hactenus virum non cognovisti, cognosce nunc, et habebis filium quem te concepturam praedixi. Hac ergo prudenti interrogatione significavit sibi propter votum non esse liberum cognoscere virum; sicut si diceres in Quadragesima: Non edo carnes, quia nempe impediris a comedendo praecepto Ecclesiae.

Probatur, secundo, ex sanctis Patribus, qui praedictum locum sacrae Scripturae eodem modo de voto beatae Virginis exponunt. Sic S. AUGUSTINUS (*De Virginit. cap. 4*) dicit: « Maria ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto non diceret nisi Deo virginem se ante vovisset. Sed quia mores Israelitarum adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius

contra violentos custodituro quod illa jam voverat. » Et S. BERNARDUS (*Serm. 4, sup. Missus est*): « Non quaerit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat: Dum sciat Dominus meus, testis conscientiae meae, votum esse ancillae suae non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei ut ne fiat istud? » — (1)

ARTICULUS III

Utrum, stante voto, potuerit beata Virgo matrimonium contrahere cum sancto Joseph?

Respondetur: beata Virgo potuit, stante voto virginitatis, verum matrimonium contrahere cum sancto Joseph.

Probatur, primo, ex sacris canonibus, qui expresse statuunt contra haereticos matrimonium consensu, non concubitu, perfici. Et ideo CONCILIUM TRIDENTINUM (*sess. 24*) matrimonium ratum per ingressum religionis alterius partis dirimit. Licet ergo beata Virgo habuerit votum de non habendo concubitu, quia tamen verum consensum habuit in traditionem juris ad corpus, matrimonium salvo voto contraxit.

Probatur, secundo, ex sancto AUGUSTINO (*De Consens. Evang. lib. 2*), qui ait: « Etiam servata pari consensu continentia potest permanere vocarique conjugium, non permisto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. » Adeoque docet hic sanctus praesul quod possint conjuges in actuali matrimonio votum habere continentiae seu castitatis, quin per hoc pereat matrimonium. Et revera etiam multi, uti sanctus Hen-

(1) Idem attestantur S. GREGORIUS NYSS. (*Orat. in Natal. Dom.*), S. ANSELMUS (*De Excell. Virginit. cap. 4*) et alii plures. — Eodem modo affirmant beatam Virginem emisisse votum absolutum castitatis ante desponsationem cum sancto Joseph. Cfr SEDLMAYR, *Scholast. Mar. part. 1, quaest. 13, art. 7.*

ricus et sancta Cunegundis, in matrimonio virginitatem coluerunt ex mutuo consensu. Ergo sine repugnantia poterit etiam iniri matrimonium, spectando jus naturale cum voto perpetuae virginitatis. Et sic inivit beata Virgo cum sancto Joseph.

Probatur, tertio, ex S. THOMA (*Summ. part. 3, quaest. 29, art. 2*) dicente: « Forma matrimonii consistit in indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. » Sed talis conjunctio animorum stat etiam cum voto virginitatis; quia, si unus conjugum alteri fidem non servaret, peccaret vere contra justitiam, et committeret adulterium, praeter sacrilegium, si simul fuisset voto ligatus ad castitatem servandam. Ergo in via sancti Thomae matrimonium cum voto initum valet, quia servat essentialia ad matrimonium pertinentia.

Objicitur: juxta S. AUGUSTINUM (*De Bono Vid. cap. 8*), « voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est. » Ergo beata Virgo, cum voto virginitatis, non potuit cum sancto Joseph matrimonium contrahere.

Ad quod respondetur, ex S. THOMA (*Sent. part. 4, dist. 30, quaest. 2, art. 1*): « Beata Virgo, antequam contraheret cum Josepho, fuit certificata divinitus quod Joseph in simili proposito erat; et ideo non se commisit periculo nubens. » Ex quo patet responsio ad textum sancti Augustini, quod nempe voventi virginitatem damnabile sit velle nubere, si non aliunde certus sit de integra servanda virginitate; secus si certus sit, quia pro tunc nequit se exponere periculo virginitatis violandae, sicut contigit in beata Virgine. ®

ARTICULUS IV

An teneantur fideles explicite credere virginitatem perpetuam beatæ Virginis?

Respondetur : perpetua Deiparae virginitas est omnibus fidelibus, per se loquendo, explicite credenda.

Probatur, primo : Symbolum Apostolorum est omnibus fidelibus explicite credendum; sed perpetua sanctissimæ Deiparae virginitas exprimitur in supradicto Symbolo, sub his verbis, *Natus ex Maria Virgine* : ergo hæc est explicite credenda fidelibus. — Neque dicatur his verbis, *Natus ex Maria Virgine*, solum indicari virginitatem ante partum et in partu : quia contra est, quod hæc verba debeant sumi juxta sensum Ecclesiae. Atqui dum dicitur, *ex Maria Virgine*, Ecclesia intelligit *semper virgine*, ut patet ex Symbolo Nicaeno quod canitur in Missa : *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*; quæ verba de se solum loquuntur de conceptione Christi, et tamen in sensu Ecclesiae sumenda sunt indisputabiliter etiam de nativitate Christi. Et sic eodem modo extendenda sunt ad virginitatem post partum, quia sic mens est omnium Patrum et Doctorum quod sit perpetua virgo; et quia alias non ita absolute et simpliciter vocaretur virgo, si aliquando fuisset corrupta : sicut alias feminas non solemus absolute et simpliciter nominare virgines, si aliquando intra aut extra matrimonium fuerunt corruptæ, licet aliquando fuerint virgines (1).

Probatur, secundo : quando beatissima Deiparens nuncupatur virgo, tunc hoc nomen refertur ad omne tempus : ergo ex sensu explicite communi per hanc appellationem intelligitur virgo perpetua, et quæ talis est semper. — Antecedens pro-

(1) Cfr Cardinalis De Lugo (*De Fide, disp. 13, sect. 4, num. 17*).

batur : quando Ecclesia canit, *Hodie concepta est Maria*, et, *Conceptio est hodie sanctæ Mariæ Virginis*, non potest sensus horum verborum solum referri ad tempus conceptionis, quasi tum solum fuisset virgo, quia in conceptione omnes infantes sunt virgines; sed sensus est : hodie illa concipitur quæ sempiterna est virgo, et ob hoc, quod talis semper permanserit, appellatur antonomastice virgo. Ergo dum fidelibus proponitur hic articulus fidei tanquam de necessitate præcepti explicite credendus, proponitur perpetua virginitas Deiparae credenda. Unde notanter ait S. EPIPHANIUS (*Haeres. 78*) : « Quis unquam, aut quo saeculo, ausus est proferre Mariæ nomen, et interrogatus non statim intulit Virginis vocem ! » Adeoque, communi sensu fidelium, nomen Virginis prout appellativum Deiparae significat *Virginem perpetuam*.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO SECUNDA

DE ANNUNTIATIONE ANGELI
ET DE INCARNATIONE VERBI

ARTICULUS I

*Utrum conceptus virgineus debuerit prius beatæ
Virgini annuntiari? — (1)*

Respondetur : ad hoc ut Incarnatio in beata Virgine fieret convenienter, fuit Annuntiatio praevia necessaria. Ita S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 30, art. 1*).

Probat, primo, quia in sacramento, seu mysterio Incarnationis, varia contracta sunt sponsalia quae sponsae consensum requirunt. Et imprimis quidem sponsalia Dei cum humana natura, secundum illud (OSEE, II, 20) : « *Sponsabo te mihi in fide.* » Deinde sponsalia Christi cum Ecclesia, quam instituit juxta illud (2 COR. II, 2) : « *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* » Et denique sponsalia Spiritus Sancti cum Deipara Virgine, quam fecundavit, secundum illud (LUC. I, 35) : « *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* » Atqui sponsalia

(1) Hic quaestio non est de necessitate simpliciter dicta et absoluta : quia dubitari non potest quin Deus potuerit in beata Virgine perficere mysterium Incarnationis sine hoc, quod ipsa de hoc quidquam sciret pro instanti quo fuit peractum ; sermo igitur est de necessitate convenientiae.

requirunt sponsae consensum, et hic est ad illa necessarius. Ergo necesse fuit ut beata Virgo per annuntiationem instructa consensum daret : nomine totius naturae humanae, nomine Ecclesiae, et proprio.

Probatur, secundo, quia beata Virgo debuit dare consensum ad redemptionem loco totius naturae humanae; et maxime quia sicut femina assensu suo angelo tentatori initium ruinae dedit humani generis, ita etiam altera femina per assensum angelo datum humanae redemptionis exordium faceret.

Probatur, tertio : cum per mysterium Incarnationis beata Virgo ad singularem cum Deo conjunctionem esset elevanda, tamquam Mater Filii Dei et Sponsa Spiritus Sancti, debuit ad tantam dignitatem per proprios actus disponi. Quod etiam in annuntiatione angelica fuit factum, cum nobilissimos actus elicuerit fidei de hoc mysterio (unde dicitur : *Beata, quae credidisti*. Luc. I, 45), obedientiae, pietatis, amoris erga Deum, et simul etiam profundae humilitatis et prudentiae in servando voto virginitatis : qui omnes actus in virgineo colloquio mirabiliter eluxerunt. Ergo annuntiatio fuit necessaria.

Probatur, quarto, ex titulo Coredeptricis ad quod beata Virgo erat praedestinata. Reapse, opus redemptionis humanae implicabat pro futura Matre Christi dolores maximos, poenas gravissimas, martyriumque cordis inauditum. Atqui aequitas, non minus quam Dei bonitas, postulare videbatur ut haec acerbissima tormenta ei non imponerentur absque praevio consensu. Ergo virgineus conceptus debuit prius beatae Virgini annuntiari.

Objicitur : si annuntiatio, et inde consensus beatae Virginis, fuit necessarius, sequitur quod honorum omnium maximum, Dei scilicet facti hominis conceptio, et totius mundi salus, dependerit a beatae Virginis voluntate. Sed hoc non videtur dicendum, cum Deus non dependeat a creatura. Ergo consensus beatae Virginis non fuit necessarius.

Ad hoc respondetur exinde resplendescere quantum valeat sacratissima Virgo apud Deum, cum hic salutem totius generis humani voluerit alligare beatae Virginis voluntati. Neque in hoc est quidquam absurdi, quia inde non sequitur dependentia absoluta, et antecedens divinam voluntatem, sed tantum consequens : quia nempe Deus libere voluit suam assumptionem naturae humanae, et inde mundi salutem, dependentem facere a consensu beatae Virginis ; cum aliunde non exspectato Virginis consensu Incarnationem potuisset perficere.

ARTICULUS II

Utrum beata Virgo sit vera Mater Christi, tum qua Dei, tum qua hominis ?

Respondetur : beata Virgo est vera Mater Christi, tum qua hominis, tum qua Dei.

Probatur prima pars : Jesus Christus est verus homo ; sed beata Virgo est vera Mater Christi Jesu : ergo beata Virgo est vera Mater Christi, in quantum hic est homo. — Major constat ex S. JOANNE (XIX, 5) : *« Ecce homo ; »* et S. LUCA (XXIII, 47) : *« Hic homo erat justus ; »* et S. MARCO (X, 33) : *« Filius hominis tradetur ; »* et rursus ex Apostolo (ROM. I, 3) : *« Qui factus est ei ex semine David secundum carnem ; »* et iterum (1 TIM. II, 5) : *« Unus mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus. »* — Minor pariter constat ex S. MATTHAEO (I, 16) : *« De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. »* — Confirmatur eadem pars ex CONCILIO NICAENO, sic habente : *« Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. »* Ergo fide catholica certum est quod beata Virgo sit Mater Christi, in quantum hic est homo.

Probatur nunc etiam secunda pars in hac forma : Jesus

Christus est verus Deus; sed beata Virgo est vera Mater Jesu Christi: ergo beata Virgo est vera Mater Dei. — Major constat ex S. LUCA (I, 35): « Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei; » et ex S. JOANNE (XX, 28): « Dominus meus, et Deus meus; » item (I JOAN. V, 20): « Hic est verus Deus. » — Minor liquet ex S. MATTHAEO (I, 16): « De qua natus est Jesus. » — Conclusio est in forma. — Eadem veritas confirmatur ex CONCILIO EPHESINO (can. 1), quod contra Nestorium sic ait: « Si quis non confitetur Emmanuelem vere Deum esse, et ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem), anathema sit. » — Item ex Patribus, e quibus S. GREGORIUS NAZIANZENSIS (Orat. 51) inquit: « Si quis sanctam Deiparam non credit, extra Divinitatem est. » Et S. CHRYSOST. (Homil. in Hyp. Dom.): « Crede his quae de Virgine a nobis dicuntur, nec dubites eandem et Dei ancillam et Dei parentem esse. »

Objicitur: Maria Virgo non est Mater Divinitatis, quia haec a se et aeterna est: ergo neque est Mater personae divinae, quia haec pariter aeterna est, et inde temporalis generationis incapax.

Ad quod respondetur verbis S. THOMAE (Summ. part. 3, quaest. 35, art. 5): « Dicendum quod beata Virgo dicitur Mater Dei, non quia sit Mater Divinitatis, sed quia personae habentis divinitatem et humanitatem, est Mater secundum humanitatem. » Cujus ratio sumitur a communicatione idiomatum, juxta quam nomina in concreto et specificative accepta significant subjectum habens formam. Beata Virgo est ergo Mater Dei sumendo nomen Dei in concreto, pro supposito habente divinitatem; quamvis haec praedicatio Deitatis in abstracto, *beata Virgo est Mater Deitatis*, aut in hoc sensu reduplicativo, *beata Virgo est Mater personae ut subsistentis in divinitate, vel secundum divinitatem*, non

valeat. Valet tamen haec: *beata Virgo est Mater Christi, in quantum hic est Deus, et in quantum hic est homo*: quia nomina, *Deus et homo*, sumuntur in concreto.

ARTICULUS III

Utrum beata Virgo, mediante maternitate Dei, sit vere consanguinea Deo?

Respondetur: beata Virgo vere est consanguinea Deo, quatenus subsistenti in natura humana. Ita VASQUEZ (tom. 1, part. 3, disp. 29, cap. 1, num. 2), VEGA (Theol. Mar. num. 1582), CANISIUS (De Deip. lib. 5, cap. 15).

Probatur, primo: cognatio matris ad filium est vera et propria consanguinitas in primo gradu; sed beata Virgo est vere et proprie dicenda Mater Dei: ergo beata Virgo est vere consanguinea Deo. — Confirmatur: beata Virgo aetiori vinculo et perfectiori consanguinitate copulatur cum suo Filio, qui vere Deus est, quam reliquae matres cum suis filiis: quia Christus habuit suam substantiam a sola Matre, non ut alii filii, a patre et matre; item quia substantiam suam, quam in prima sua formatione, nutritione et lactatione, a beata Virgine accepit, nunquam dimisit: unde majorem unitatem et identitatem sanguinis habet cum Matre sua, quam alii filii. Ergo beata Virgo vere et proprie consanguinea est cum Filio suo, vero Deo homine (1).

Probatur, secundo: beatae Virgini debetur specialis cultus qui hyperdulia vocatur, et hic propter consanguinitatem quam habet cum Deo Filio suo, ut ait S. THOMAS (Summ. part. 2-2,

(1) Cfr. S. AUGUST. (Homil. 4 de Assumpt.), S. PETRUS DAMIANUS (Serm. 2 de Nativ. B. Virg.), SEDLMAYR (Schol. Mar. part. 1, quaest. 9, art. 6, num. 1479).

quaest. 103, art. 2) : « Hyperdulia est potissima species duliae communiter sumptae; maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate quam habet ad Deum. » Ubi nomen affinitatis sumit generice pro cognatione, prout affinitati et cognationi communi; quia affinitas specifica et proprie dicta nequit intercedere inter matrem et filium, cum tantum sit in marito relate ad consanguineos uxoris, et vicissim; adeoque non inter matrem et filium, beatam Virginem et Christum.

Obijcitur: consanguinitas non est nisi ubi est naturae unitas, vel sanguinis identitas et participatio; atqui intra beatam Virginem et Deum non datur naturae unitas: ergo neque consanguinitas.

Ad quod respondetur quod nomen *Deus*, concretive sumptum, significet suppositum in recto, quatenus subsistens in duplici natura, divina et humana. Quando ergo dicitur: beata Virgo est consanguinea Deo, intelligitur prout subsistens in humana natura; et sic cum Deo in humana natura subsistente habet veram unitatem naturae, utpote quam ipsi vere communicavit; adeoque cum ipso consanguinea est.

Sed obijcientes instant: per hoc tantum probatur beatam Virginem esse consanguineam Christi, non Dei; item Christi qua hominis, non qua Dei; adeoque non est consanguinea Deo.

Refelluntur respondendo quod Christus sit Deus et homo. Ergo si beata Virgo est consanguinea Christi, erit etiam consanguinea Dei. Dein beata Virgo non est tantum Mater Christi qua hominis, sed etiam Christi qua Dei subsistentis in natura humana, ut antea dictum est. Ergo, sicut Mater est Dei subsistentis in natura humana, ita consanguinea est Dei subsistentis in natura humana, quia secundum humanitatem cum Deo communicationem sanguinis habet.

ARTICULUS IV

An et quale dominium competat beatæ Virgini, qua Matri, in Filium?

Respondetur: beata Virgo habuit dominium maternum, seu potestatem patriam, in Christum. Ita MALDONATUS (*In Luc. II*) ad illa verba: « *Et erat subditus illis;* » VEGA (*Theol. Mar. num. 1668*), cum sanctis Patribus, ex quibus S. AMBROSIVS ait: « Quid enim magister virtutis nisi officium pietatis implet? Non utique infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est: » qua nempe Christus Dominus patriae Deiparae potestati censetur subjectus. S. ILDEPHONSUS (*De Virginit. Mariae, cap. 8*) haec habet: « Ut per hanc Virginem Christus Deus fieret homo, Verbum fieret caro, et Filius Dei factor omnium fieret filius Matris quam ipse formaverat, essetque Dominator nascendo subditus ancillae quam ipse condiderat, sicque haberet ancilla potestatem in subditum Dominum. » Idem ait S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. 3 de Nom. Mariae*): « Haec erat vera propositio: imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus. » Item GERSON (*De Annunt.*): « Melius eam appellare non possumus quam Matrem Dei, quoniam per hoc habet veluti auctoritatem et naturale dominium ad totius mundi Dominum, et a fortiori ad omne id quod huic subjectum est Domino. » Et RICHARDUS A S. LAURENTIO (*De Laud. Virg. lib. 2*): « Quia pro salute famulantium sibi non solum potest Filio supplicare, sicut alii sancti, sed etiam potest cum auctoritate materna eidem imperare; unde si oramus eam, *Monstra te esse Matrem*, id est: quasi imperiose, et materna auctoritate supplica pro nobis Filium. »

Probatur etiam ratione: dominium paternum beatæ Virginis erga Christum fundatur in veritate maternitatis Dei:

ergo sicut veritas maternitatis Dei certa est, ita et dominium paternum beatae Virginis erga Christum videtur certum. — Antecedens probatur : vera maternitas facit naturaliter filium matri subjectum in accipiendo naturam : ergo etiam fundat naturalem potestatem in matre ad exigenda vicaria obsequia, filialem reverentiam et pietatis officia.

Objeitur : Christus est Persona divina : ergo nequit dici subjectus Matri suae, cum Deus nemini possit esse subjectus.

Ad quod respondetur Christum, qua Filium beatae Virginis, esse quidem Personam divinam, sed qua subsistentem in natura humana. Unde, licet Personae divinae, qua subsistenti in natura divina, repugnet absolute ista subjectio et nomen servitutis, non tamen eidem repugnat qua subsistenti in natura humana, uti notanter advertit S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 20, art. 1*).

ARTICULUS V

Utrum beata Virgo, per maternitatem Dei, sit Regina totius mundi?


Respondetur : beata Virgo habet, vi maternitatis Dei, jus regium directum et excellens in orbem universum.

Probatur, primo, ex sanctis Patribus, citatis apud SALAZAR (*Comment. in Cant. VIII*), qui Deiparam intitulant « *potentissimam coelestium, terrestrium et inferorum Reginam ac Dominam* ; » eo nempe praecipue titulo quod sit Mater Dei, in supremi dominii et imperii communionem a Christo tamquam Mater admissa. Verba S. ATHANASII (*De Deip.*) ita sonant : « Quandoquidem ipse Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque Dominus est Deus, eapropter et Mater, quae eum genuit, et Regina et Domina proprie et vere censetur. » Et S. DAMASCENUS (*De Fide, lib. 4, cap. 4*) inquit : « Maria

rerum omnium conditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater exstitit. » Similia habent alii Patres et Doctores, qui Virginem Deiparam in jure materno vere ac proprie universi Reginam ac Dominam esse profitentur.

Probatur, secundo, ratione : unio hypostatica in Christo est radix moraliter exigitiva domini super omnes creaturas : ergo etiam maternitas Dei in beata Virgine. — Consequentia probatur : ideo unio hypostatica radicat dominium in omnes creaturas, quia tribuit Christo filiationem naturalem, et inde jus haereditarium omnium bonorum Dei ad extra : ergo etiam maternitas Dei erit radix moralis exigitiva ejusdem domini, quia pariter tribuit connaturale jus ad bona Filii.

Probatur, tertio, ex titulis sanctissimae Deiparentis : beata Virgo est Filia Dei Patris, Mater Dei Filii, Sponsa Spiritus Sancti : ergo competit ei hoc triplici titulo regalis potestas in totum mundum. — Consequentia probatur : beata Virgo, tamquam Filia Dei Patris « *primogenita ante omnem creaturam* (ECCL. XXIV, 5), » simul haeres est universalis bonorum Patris, adeoque et domini regalis in hoc universum. — Deinde Mater est Dei Filii, quem genuit sine patre, eumque libere, non necessario praemisso praevio consensu, quod nemini adhuc filiorum obtigit, quemque genuit ut orbis esset Servator ex ipsa natus, excellentissima corporis habitudine praeditus, sanguine regio, et jure haereditario in regna Israelis ex ipsa donatus ; et inde ad vices gratitudinis magis obstrictus, ut adeo minime dubitandum sit quin Christus Matrem suam vicissim omnis regalis potestatis fecerit participem. — Denique beata Virgo est Sponsa Spiritus Sancti, qui vices sponsi sustinens, uterum Virginis sine semine fecundavit ; et inde pari mariti cum uxore propinquitate junctus est ; et ita etiam eadem privilegia ac jura tribuit, quae alius princeps ac simul sponsus in humanis fecit : adeoque idem regale dominium in hoc universum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO TERTIA

DE BEATA VIRGINE A CHRISTI NATIVITATE USQUE AD
PASSIONEM INCLUSIVE

ARTICULUS I

*Utrum beata Virgo debuerit Christum in Templo
praesentare et oblatione redimere?*

Nota. — Secundum legem latam (Exod. XIII) statutum fuit ut si nata proles sit mascula et primogenita, sistatur et offeratur Deo, tamquam ipsi debita et consecrata, ob liberationem primogenitorum Hebraeorum a Deo factam, quando ab angelo exterminatore caesa sunt primogenita Pharaonis et Aegyptiorum: ita tamen ut proles oblata Deo a parentibus posset redimi quinque siclis. Quaeritur nunc utrum haec lex etiam Christum Dominum obligaverit, et inde indirecte saltem Matrem ad Christum praesentandum et redimendum? Ad quod

Respondetur: Christus, et cum eo Mater ejus, hac lege non tenebantur, ut haec Christum sisteret et offerret Domino. Fuit tamen summe decens et conveniens ut lex haec nihilominus ab illis observaretur. Ita communis opinio theologorum.

Probatur prima pars: lex ista expressis verbis excludit Christum, quia sic dicit: « Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel (Exod. XIII, 2). » Christus autem vulvam maternam non aperuit, sed claustro

pudoris obserato et intacto, per uteri penetrationem exivit. Ergo hac lege non tenebatur Christus (1). — Confirmatur : Christus venit liberaturus homines ab oneribus legis caeremonialis antiquae : ergo non est credibile quod illis fuerit subjectus. Deinde haec propositio est inter damnatas ab ALEXANDRO VIII : « Oblatio in Templo, quae fiebat a beata Virgine Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. »

Probatur secunda pars, quod tamen convenienter legem hanc observaverint : quia, ut advertit S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 37, art. 4*), « Christus, licet non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire ad demonstrandum humilitatis et obedientiae exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniae occasionem Judaeis tolleret; propter easdem rationes voluit et Matrem suam implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia. » Ergo decens ac conveniens erat ut Christus cum Matre legem de offerendo primogenito in Templo observaret, licet ei non fuerit subjectus.

ARTICULUS II

Utrum beata Virgo ex necessitate et obligatione Legis ad Templum purganda venerit ?

Nota. — In lege veteri (LEVIT. XII), legimus hanc legem ferri : « *Mulier si, suscepto semine, pepererit masculum,*

(1) S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 35, art. 6*) ait : « Christus egressus est clauso utero Matris. » Ita etiam locuti sunt Patres. Cfr

immunda erit ... Cum expleti fuerint dies purificationis suae pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbae, par turturum pro peccato ad ostium tabernaculi, et tradet sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, et orabil pro ea; et sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. » Quibus verbis indicatur puerperam die purificationis a profluvio sanguinis esse mundandam, atque adeo ab immunditie, tum naturali libidinis, tum a legali a peccato Adae proveniente. Quaeritur ergo utrum beata Virgo huic legi subjecta fuerit. Ad quod

Respondetur : Deipara Virgo nullo modo fuit obstricta legi purificationis a Levitico latae. Est communis theologorum et Patrum, et omnino certa opinio post propositionem hanc ab URBANO VIII confixam : « Oblatio in Templo, quae fiebat a beata Virgine in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur quod indiguerit purificatione, et quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. » — Probatur nunc conclusio : illae tantum feminae erant obstrictae legi purificationis, quae, *suscepto semine*, ut lex sonat, pepererant, et inde mundari debebant, tum a macula reali, tum morali libidinis, tum a legali profluvii sanguinis. Sed beata Virgo non peperit ex suscepto semine, sed ex obumbratione Spiritus Sancti. Ergo non contraxit maculam a qua deberet mundari.

Confirmatur : beata Virgo non amisit virginitatem in partu, uti fides catholica docet contra haereticos, et supra (*part. 1, quaest. 8, art. 1*) demonstratum est. Item peperit sine dolore, secundinis et sordibus, ut constat, tum ex CONCILIO TRULLENSI (*can. 79*); tum ex verbis Ecclesiae canen-

SEDLMAYR (*Scholast. Mar. part. 2, quaest. 5, art. 1*) : Quomodo veritas parturitionis cum virginali integritate combinari possit ?

tis : « Nesciens Virgo virum peperit sine dolore Salvatorem saeculorum; » tum ex communi sensu Patrum, ex quibus S. AUGUSTINUS (*De Haeres. cap. 5*) ait : « Stulte, unde sordes ex Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quae, nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem? » tum ex illis verbis (LUC. II, 7) : « *Peperit Filium suum unigenitum, et panis eum involvit, et reclinavit eum in praeseptio;* » ubi S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 35, art. 6*) advertit quod nulla alia actio, vel mundatio, in eo negotio intercesserit, quam quae his verbis exprimitur. Ergo beata Virgo non est passa profluvium, aut aliquam immunditiam legalem (1).

ARTICULUS III

Utrum beata Virgo gravissime passa sit tempore Passionis Christi?

Respondetur : dolores beatae Virginis, in Passione Filii, fuerunt prorsus vehementes et gravissimi.

Probatur, primo, ex sanctis Patribus (2). Hi omnes Mariae Virginis commiserantis maternum affectum et doloris acerbissimam gravissime describunt, et nobis ut perpendendam commendant, tamquam quae tanta fuit, ut, attestantibus sanctis Patribus, ratione concipi nequeat, « et quasi multiplici morti similis fuerit; dum enim Jesus agonizat, Maria moritur : » intelligendo nempe aculeum ac vim quae mortem inferre

(1) Cf. S. EPIPHANIUS (*Contra Haeres. lib. 3*), S. CYPRIANUS (*De Nativ. Christi*).

(2) S. ANSELMUS (*De Compass. Virg.*), S. BONAV. (*Stimil. divini Amor. part. 1, cap. 4*), S. BERNARDUS (*De Planctu B. Virg.*), S. GREGORIUS NAZ. (*De Christ. patient.*), S. DAMASCENUS (*De Dormit. B. Virg.*), etc.

valent, dum clavis configitur Jesus, mortifero aculeo cor Mariae transecatur. Et si mater Machabaea toties quasi moriebatur virtute oculorum, quoties filius mactabatur, ut ait S. AUGUSTINUS (*Serm. 109 de Sanct.*), tunc certe idipsum affirmandum est de tanta Matre quanta Maria est, moriente et talia patiente tanto Filio.

Probatur, secundo, ex illo (JOAN. XIX, 25) : « *Stabat juxta crucem Jesu Maria, Mater ejus;* » ut insinuet maternum affectum, qui, cum naturalissimus sit, nequit non condolere. Et ideo etiam Ecclesia in Hymno suo ait : *Stabat Mater dolorosa*; indicans dolores quos patiebatur juxta crucem non communes esse, utpote matris, cui natura indidit commiserationem in filium. Quod vel unum sapientissimo Salomoni argumentum fuit ut judicaret feminam illam, quae libenter patiebatur infantem dividi, non esse veram matrem, sed alteram, quae materno affectu commota maluit filio privari, quam eum dividi et trucidari. Quomodo ergo beata Virgo Mater sit Jesu, si in hoc charitatis genere cedat aliis matribus, et sit velut silex, et tam inclemens, ut dum videret Filium acerbissimis mortis doloribus discrucitari, non ipsa quoque cruciatibus his gravissime commoveretur? Utiq; cum beata Virgo, tamquam gratia plena, emineat charitate praesertim erga Filium suum divinum, non poterat aliter in Filii doloribus, quam ut optima et amantissima Mater summe et acerbissime condolere. Unde S. BERNARDUS (*Serm. 51*) ait : « *Virgo Mater non solum juxta crucem stabat, verum etiam in cruce pendeat : de se enim in se nihil remanserat. Tota commigraverat in dilectum; et dum ille corpus, ista spiritum immolabat.* »

ARTICULUS IV

Utrum dolor beatæ Virginis fuerit tantus ut effecerit martyrem ?

Respondetur : dolor beatæ Virginis fuit tantus, ut eam vere effecerit martyrem. Est communis sanctorum Patrum sententia (1).

Probatur, primo, ex eo quod beata Virgo tantum dolorem habuerit, ejus vehementia naturaliter loquendo debuisset mori : ergo dolor ejus sufficiebat ad martyrium. — Antecedens probatur, imprimis, ex *Revelationibus* S. BIRGITTAE (cap. 18), quæ auctoritatem habent ab Ecclesia, ubi sic refertur : « Mirabile cernitur quod illa uxor Phinees doloribus mortua fuit (1 Reg. IV), quæ minoribus doloribus urgebatur, et de Maria, quæ majoribus moestitiis lacessita fuit, quis aliud cogitare poterit, nisi quod de speciali omnipotentis Dei dono contra omnes corporales vires suas ipsam vitam retinuit ? » Idem affirmat S. ANSELMUS (*De Excell. Virg. cap. 5*) : « Beata Virgo in Passione Christi vere interiisset prae magnitudine doloris, nisi ab eo praeservata fuisset. » Plus dicit S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. 61*) per hæc verba : « Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas, quæ dolorem pati possent, divideretur, omnes subito interirent. » Est nempe amor mensura doloris in Virgine; qui quidem major est, quam omnes amores omnium sanctorum simul sumpti. Dolor ergo amor commensuratus hæud dubie vim de se habet, si non omnes, aut plures, certe Mariam Virginem naturaliter loquendo occidendi.

(1) S. HIERONYMUS (*Serm. 41 de Assumpt.*), S. BERNARDUS (*Serm. in Sign. Magn.*), S. ILDEPHONSUS (*Serm. 2 de Assumpt.*), S. ANSELMUS (*De Excell. Virg.*), S. AMBROSIVS (*In Luc. I. 35*), cum aliis apud SEDLMAYR (*Scholast. Mar. part. 2, quaest. 8, art. 3*).

Probatur, secundo : ad martyrium non requiritur mors actualis violenter illata, sed satis est si quis sustineat sufficientem mortis causam propter Christum, aut fidem, aut virtutem ab ipso traditam : uti manifeste patet in variis martyribus qui tamquam tales ab Ecclesia coluntur. Sic Martinus Papa, Eusebius, episcopus Vercellensis, et sanctus Joannes Evangelista, qui, olei ferventis dolio in quod missus erat, non solum mortem non vidit, sed ut ait S. HIERONYMUS (*Advers. Jovin.*), purior et vegetior exivit quam intravit. Atqui beata Virgo sufficientem mortis causam est passa propter Christum et fidem ejus : tum quod juxta crucem se confitendo Matrem Jesu crucifixi liberam se exposuerit persecutoribus, ut in se quoque irruere possent qui ita in Filium saeviebant ; tum quod oculis spectando tormenta Filii, non solum in anima, sed et in corpore, lethales dolores ex animae potentiis causatos sustinuerit, velut tradit S. AUGUSTINUS (*De Lament. Virg.*). Ergo beata Virgo est vera et propria martyr.

Probatur, tertio : quando non stat per hominem quominus mortem pro Christo subeat, et aliunde tormenta et aerumnae adsunt quæ naturaliter ad mortem inferendam sufficiunt, tunc non deest laureola martyrii, licet divina virtute quis superstes maneat, uti docet S. GREGORIUS (*Dialog. lib. 3, cap. 26*). Atqui non stetit penes beatam Virginem quominus mortem pro Christo obierit ; et aliunde tantas aerumnas passa est, quæ naturaliter mortem intulissent, uti constat ex comparatione cum aliis personis, quæ ex doloribus minoribus mortem passae sunt, juxta superius dicta, nisi nempe divinitus roborata fuisset. Ergo beata Virgo vere martyr est, et digna laureola martyrii.

ARTICULUS V

*Utrum Deipara Virgo sit proprie dicta
Regina martyrum?*

Respondetur : beata Virgo est vera Regina martyrum. Haec assertio est juxta sensum Ecclesiae, quae eam ut talem salutat.

Probatur, primo, ex sacra Scriptura (THREN. I, 12) : « *Attendite ergo, et videte si est dolor similis sicut dolor meus.* » Quem locum, non solum de Christo, sed de beata Virgine intelligendum esse insinuat Scriptura, inquiens : « *Cui comparabo te, et consolabor te, Virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua* (THREN. II, 13). » Aliorum nempe martyrum dolores sunt rivi ; dolores Virginis sunt mare absorbens omnes rivus. Et sic beata Virgo ab excessu dolorum vera Regina sanctorum martyrum est.

Probatur, secundo, auctoritate sanctorum Patrum. Ex quibus S. ANSELMUS (*De Excell. Virg.*) ait : « Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus martyrum, leve fuit, aut potius nihil, comparatione tuae passionis, quae sua immensitate transfixit tota penetralia tua. » Et S. BERNARDUS (*Sup. Sign. Magn.*) inquit : « Tuam animam pertransivit vis doloris, ut plus quam martyrem praedicemus. » Et S. ILDEPHONSUS (*Serm. 2 de Assumpt.*) ait : « Cum videret Dominum pendentem, etiam plus quam martyr fuit. » Et S. GUILIELMUS (*In Cant. III*) confirmat assertionem ratione : « Plus est esse commartyrem Christi quam martyrem Christi : quia est proximior conjunctio cum Christo, et efficacior influxus Passionis Christi, et dolor non propter se, sed unice propter Christum. »

Probatur, tertio : Christus fuit, et proprie martyr, et martyr Rex, quia propter veritatem doctrinae suae interfectus est, ut probat (S. THOMAS (*Sent. part. 4, dist. 49, quaest. 5,*

art. 5). Ergo etiam beata Virgo erit proprie martyr, et martyr Regina, quia, licet propter Christum non fuerit mortua, passa tamen est tanta, quanta nemo martyrum : sicut enim omnes martyres etiam collective sumptos amore superabat, ita etiam dolore ipsi amori commensurato.

Confirmatur : licet Filii interfectores non intenderint directe occidere vel affligere Matrem, reipsa tamen persequendo et occidendo Christum, quem Mater plus quam vitam suam diligebat, etiam ipsam Matrem, quantum in ipsis erat, occidebant ; et quia haec indirecta mors Matri intentata etiam reipsa secuta fuisset, nisi divinitus fuisset servata, cum in aliis personis longe minor persecutio ad mortem inferendam suffecerit, ideo haec passio eam veram effecit martyrem, eamque simul Reginam martyrum : quia est excellentissima passio, quae omnes superat, et quia simul passio erat Christo patienti proxima, et omnium conjunctissima.

Objicitur : dolor beatæ Virginis proveniebat ex charitate, et habebat rationem boni moralis ac meritorii, et proinde non erat objectum tantæ tristitiæ, sed magis gaudii : ergo per hunc beata Virgo non poterat esse Regina martyrum.

Ad quod respondetur retorquendo in Passione Christi ; nam et haec opus est excellentissimæ charitatis ac meriti, et tamen in summo erat afflictiva humanitatis Christi, et faciebat Christum Regem martyrum. Poterat ergo etiam compassio beatæ Virginis esse summe afflictiva et simul meritoria in ipsa, ex hoc maxime quod fuerit summe afflictiva (1).

(1) Cfr S. BERNARDUS (*Serm. de 12 Stellis*).

ARTICULUS VI

*Utrum beata Virgo possit dici Cooperatrix
humanae redemptionis et Coredemptrix hominum?*

Respondetur: beata Virgo vere cooperata est humanae redemptioni sic, ut jure mereatur titulum Cooperatricis humanae redemptionis. Haec assertio est juxta communem sensum Patrum ac Doctorum.

Probatur, primo: Deus voluit opus redemptionis pendere a consensu Virginis, nolendo aliter Incarnationem fieri quam praemisso consensu beatae Virginis. Unde ipsum etiam non genuit simpliciter, uti aliae matres generant filios, quae cum matre Machabara dicere debent (2 MACH. VII, 22): « *Nescio qualiter in utero meo apparuistis* »; sed genuit explorato per angelum et dato praevio consensu ad opus redemptionis; et ita genuit qua Redemptorem, quia dictum fuit (LUC. I, 31): « *Et vocabis nomen ejus JESUM* »; quod idem significat ac *Salvator*. Unde S. BERNARDUS (*Homil. 4, sup. Missus est*) sic sanctissimam Virginem alloquitur: « *Exspectat angelus responsum; expectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis. Statim liberabimur, si consentis.* » Si ergo ex consensu beatae Virginis pendebat opus redemptionis, vere ipsa cooperata est suo consensu, ministrante sui sanguinis, et maternis obsequiis, humanae redemptioni.

Probatur, secundo: beata Virgo etiam eatenus cooperata est mysterio Redemptionis, quatenus se obtulit sociam Passionis; cum, quantum Christus passus est in corpore, ipsa passa sit in anima (quod voluit insinuare Simeon, quando dixit: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. LUC. II, 35),

et passionem suam ipsumque Filium patientem obtulit ad propitiandum Deum pro mundi peccatis sic, ut commune assertum theologorum sit Virginem id meruisse de congruo, quod Christus meruit de condigno. Christus autem meruit de condigno redemptionem nostram et gratias ad eam pertinentes; et sic eandem beata Virgo meruit de congruo. Unde S. AUGUSTINUS (*Serm. 17 de Nativ.*): « *Auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria.* » Et INNOCENTIUS III (*Serm. 2 de Assumpt.*): « *Quod damnavit Eva, salvavit Maria.* » Eva eatenus causa est nostrae ruinae, quia Adamum ad peccatum induxit: ita et Maria causa est nostrae salutis, quia Christum genuit, et nobis modo congruo promeruit, ipsi compassa est, et passionem ejus Deo pro se et nobis omnibus obtulit (1).

Probatur, tertio, ex sanctis Patribus. Sic S. EPHREM (*Orat. ad Virg.*) his verbis eam alloquitur: « *Tu captivorum redemptio et omnium salus* »; per Christum nempe, quem genuit, et cujus adventum de congruo meruit, ac Patri coelesti pro se et nobis praesertim in compassione et doloribus suis obtulit. Unde etiam S. CHRYSOSTOMUS (*Serm. de Interdict. ad Adam*) inquit: « *Restauratur per Mariam quod per Evam perierat.* » Et S. ANSELMUS (*De Laud. Virg.*): « *Hoc promeruit, ut Reparatrix perditae orbis dignissime fieret.* » Item S. LAURENTIUS JUSTINIANUS (*Serm. de Nat. Mariae*): « *Qui Virginem voluit fieri Genitricem, Reparatricem saeculi.* » Et S. AUGUSTINUS (*Serm. de Assumpt.*): « *Ut per te mundum Deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret.* » Addit S. PETRUS DAMIANUS (*Serm. de Annunt.*): « *Per ipsam, cum ipsa, et in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine ipso nihil factum est, ita sine illa nihil*

(1) Cfr JEANJACQUOT, S. J. (*Coopération de la très sainte Vierge à l'œuvre de la Rédemption, num. 20*), (FABER (*Le pied de la Croix, chap. 9*)).

refectum sit. » Et S. PETRUS CHRYSOLOGUS (*Serm.* 142) : « Miratur angelus omnes homines vitam meruisse per feminam, quia ipsa est Adjutrix, Redemptrix. » Tandem S. ILDEPHONSUS (*Coron. XII Lapid.*) : « Tu pacem mundo impetrasti, diabolum superasti, humanum genus reparasti. »

Objicitur : vere Redemptor noster solus est Christus, qui cum omnibus nobis ipsam Virginem redemit : ergo nequit ipsa vocari Coredemptrix, vel Cooperatrix ad redemptionem.

Ad quod respondetur omnino solum Christum Dominum esse Redemptorem principalem, et per modum satisfaciens simpliciter ac de condigno ; adeo ut fide certum sit Christum non indiguisse operibus satisfactoriis suae Matris, vel meritis cujuscumque alterius. Cum quo tamen stat quod Mater Christi fuerit cooperata redemptioni, non per modum praestantis satisfactionem condignam pro peccato, sed per modum impetrantis et merentis de congruo adventum Christi, et generantis illum maxime ea intentione, ut in humanitate assumpta solveret pretium pro peccato, offerendo insuper compassionem et dolores suos pro salute nostra, et ita orando et impetrando cum efficacia salutem nostram (1).

ARTICULUS VII

Utrum beata Virgo fuerit facta nostra Mater tempore Passionis dominicae ?

Respondetur 1° : beata Virgo facta est Mater nostra complete pro tempore Passionis, quando Christus dixit

(1) « Des saints et des docteurs se sont accordés à appeler la sainte Vierge *Coredemptrice* du monde. Nul doute qu'on ne puisse légitimement se servir d'un tel langage, lorsqu'il y a une autorité si puissante pour le faire. La question consiste dans le sens qu'on doit y attacher... Les douleurs de Marie n'étaient pas nécessaires à la rédemption du

(JOAN. XIX, 26-27) ad Matrem : « *Mulier, ecce filius tuus ;* » et ad Joannem : « *Ecce Mater tua.* »

Probatur, primo : ita sancti Patres communiter, et in specie S. AUGUSTINUS (*De Virgin. cap. 6*) : « Juxta crucem stando exercuit actum summae obedientiae erga Deum et charitatis erga homines, Filium pro illis voluntarie offerendo : quo actu Mater omnium fidelium dici promeruit. » Unde Christus ad ipsam dixit : *Ecce filius tuus*, in persona Joannis omnes fideles comprehendendo. Et S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. 53 de Pass. Christi*) ait : « Mystice igitur in Joanne intelligimus animas electorum quorum per dilectionem beata Virgo facta est Mater. » Ibi enim maxime dilexit nos, quando « *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (ROM. VIII, 32), Patri offerendo, ut inde salus nostra nasceretur. Quam maternitatem deinde Deus confirmavit et complevit, quando dixit : « *Ecce filius tuus, et, Ecce Mater tua.* »

Probatur, secundo : in libro CANTICORUM (VIII, 5) dicitur : « *Sub arbore malo suscitavi te ; ibi corrupta est mater tua.* » Ubi THEODORETUS cum Septuaginta interpretibus legit : « *Sub malo exsuscitavi te ; ibi peperit te mater tua ; ibi peperit te quae genuit te.* » *Sub malo*, id est, sub ligno crucis genuit nempe nos ad instar Patris coelestis ; nam hic nos genuit sub arbore malo tradendo Filium pro nobis : « *Qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* » Ita etiam beata Virgo nos genuit, proprium Filium coelesti Patri pro nobis offerendo. Unde ait S. BERNARDUS (*Serm. 51*) : « O mira circa nos utriusque Parentis Jesu Christi pietatis dignatio ! O inestimabilis Dei et Virginis dilectio cha-

monde ; mais, dans les conseils de Dieu, elles en étaient inséparables. Elles appartiennent à l'intégrité du plan divin (FABER, *Le pied de la Croix*, chap. 9). »

ritatis, qui, ut servum redimerent, Filium tradiderunt propter nimiam charitatem qua Deus et Virgo nos miseros dilexerunt!»

Respondetur 2^o: beata Virgo facta est Mater nostra per adoptionem.

Probatur, primo: quia, ex communi sensu Patrum, per Joannem, qui beatae Virgini datus est a Christo in filium, mystice etiam nos fuimus intellecti. Joannes autem vere beatam Virginem recepit in Matrem, juxta illa verba: «*Et ex illa hora, accepit eam discipulus in sua* (JOAN. XIX, 27); » ac vicissim beata Virgo, verbis Christi intentissima, Joannem, et in Joanne nos accepit in filios. Unde S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. 53 de Pass. Christi*) ait: «*Sic mystice igitur in Joanne intelligimus animas electorum quorum per dilectionem beata Virgo facta est Mater.*» Quo sensu etiam loquitur S. BONAVENTURA (*Specul. B. Virg.*): «*Maria non solum est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium universalis.*»


Probatur, secundo: beata Virgo nos suscepit in filios in vi rescripti Principis, qui est Christus, dum hic voluntatem suam his verbis expressit: «*Mulier, ecce filius tuus.*» Ergo per veram adoptionem, et per consequens sumus veri filii ejus adoptivi. — Confirmatur: adoptio a jurisperitis definitur quod sit acceptio personae extraneae ad haereditatem; atqui beata Virgo nos tamquam extraneos suscepit, ut meritis et patrocinio suo nos perducatur ad haereditatem aeternam: ergo sumus filii ejus per adoptionem.

Objicitur: beata Virgo facta est Mater fidelium quando consensit ut Verbum ex se carnem sumeret; quia nempe ibi suo consensu facta est Mater Christi, et inde etiam nostra: ergo non est facta primum Mater tempore Passionis.

Ad quod respondetur beatam Virginem inde maxime et proprie dici Matrem nostram, quia charitate sua cooperata est ut fideles in Ecclesia nasceremur; et quia hoc utrobique

fecit, et charitate cooperata est ad nostram salutem, ideo etiam utrobique Mater nostra dicitur: tempore Annuntiationis quidem inchoative, et tempore Passionis, quo completo modo cooperata est redemptioni nostrae, consummative et maxime (1).

(1) Cfr VENTURA (*La Mère de Dieu, Mère des hommes*).




PARS TERTIA

DE BEATA VIRGINE

PRO STATU
CHRISTUM ASCENDENTEM CONSEQUENTE

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO PRIMA

DE MERITO BEATAE VIRGINIS PER VITAM

ARTICULUS I

Utrum Maternitas Dei sit radix moralis et causa finalis omnium praerogativarum beatae Virgini concessarum ?

Respondetur : Maternitas Dei est principium, causa et radix exigitiva praerogativarum et gratiarum quae beatae Virgini sunt concessae. Ita indubitata sanctorum Patrum et Doctorum sententia.

Probat, primo, ex sanctis Patribus. Inter quos S. CYPRIANUS (*Serm. de Nativ. Christi*) ait : « Christi Matri plenitudo gratiae debebatur. » Et S. HIERONYMUS (*Epist. 104*) : « Sancta Maria, quia conceperat eum in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur. » Item S. AUGUSTINUS (*De Natur. et Grat. cap. 36*) : « Inde novimus tantam gratiam ei esse collatam, quia Deum concipere meruit et parere. » Quod S. GREGORIUS MAGNUS (*In 1 Reg. I*) confirmat dicens : « Ut ad conceptionem Verbi Dei pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choras usque ad solium Deitatis evexit. » Adeo ut causa finalis cur ei tanta merita a Deo decernerentur, foret conceptio Verbi (1).

(1) Alios plures Patres enumerat SEDLMAYR (*Scholast. Mar. part. 2. quaest. 9, art. 5.*)

Probatur, secundo, ex S. THOMA (*Summ. part. 3, quaest. 27, art. 3 et 6*): « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Beata autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam: et ideo prae caeteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem accipere. » Et post pauca interjecta: « Beata Virgo, quia fuit a Deo electa in Matrem, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit quam Joannes Baptista et Jeremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratōres sanctificationis Christi: cujus signum est quod beatae Virgini praestitutum est, ut de caetero non peccaret mortaliter, nec venialiter. » In quibus verbis expresse declarat sanctus Doctor quod beata Virgo prae caeteris majorem plenitudinem gratiae obtinuerit; quia maternitate proxime conjuncta est cum Christo; et immunitatem a mortali et veniali consecuta sit propter electionem in Dei Matrem. Adeoque, juxta sanctum Thomam, Maternitas Dei causa est et radix omnium donorum et privilegiorum quae prae aliis accepit a Deo.

Probatur, tertio, ratione a priori: quia non potest a parte voliti, et objecti relate ad Deum, dari ratio finalis et motiva cur beatae Virgini, potius quam aliis feminis et hominibus, imo etiam angelis, tam sublimia merita, tam intensa gratia et extraordinaria dona fuerint a Deo praeordinata, quam Maternitas Dei, ut ad eam se digne disponeret et congrue mereretur. Ergo Maternitas Dei est principium, causa et radix donorum et privilegiorum beatae Virgini concessorum. Unde dicit SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 1, sect. 3*): « Ideo ergo beata Virgo praedestinata est ad tantam gratiam et gloriam, quia electa est in Matrem Dei. Ordo enim executionis manifestat ordinem intentionis. Sed in re ipsa talis gratia et gloria data est beatae Virgini ut esset ita disposita, sicut Matrem

Dei decebat. Ergo ideo fuit electa ad tantam gratiam et gloriam, quia in Matrem Dei praelecta. »

ARTICULUS II

Utrum et quomodo beata Virgo Maternitatem Dei meruerit?

Respondetur 1^o: beata Virgo omnino gratis fuit electa ad Maternitatem Dei, sine merito aliquo praevio. Ita SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 1, sect. 3*): « Certum est beatam Virginem fuisse ab aeterno electam et praedestinatam, tum ad gratiam et gloriam, tum etiam ad dignitatem Matris Dei, ante omnia illius merita praeterita. »

Probatur, primo, ratione S. THOMAE (*Summ. part. 1, quaest. 23, art. 4*): « Ordinate volens prius vult finem quam media. Ergo, quia Deus ordinatissima voluntate vult, et qualiter volens beatae Virgini gratiose decrevit specialissima auxilia gratiae dare, quibus posset prae aliis feminis mereri Maternitatem Dei et gloriam super omnes angelos et homines, ideo hoc suo decreto prius beatae Virgini intendit Maternitatem Dei et tantam gloriam tamquam finem, quam intenderit specialissima et extraordinaria auxilia; et quia non nisi gratuito et ante omne meritum actuale intendit dare auxilia, ideo etiam non nisi gratuito primitus intendit beatae Virgini maternitatem et gloriam. »

Probatur, secundo, verbis ipsis beatae Virginis. Dicit enim (Luc. I, 48): « *Respexit humilitatem ancillae suae*; » id est: Eligendo me in Matrem, non respexit in me aliquod meritum, sed gratuita voluntate voluit assumere humillimam ancillam suam. Quomodo S. BERNARDUS (*Serm. de Nativ. B. Virg.*) exponit dicens: « Maria non praetendit meritum, sed gratiam quaerit. »

Respondetur 2^o: beata Virgo nullo merito de condigno meruit Maternitatem Dei, etiam prout in executione conferendam.

Probatur, primo: meritum de condigno requirit aequalitatem cum praemio, uti cum communi docet S. THOMAS (*Summ. part. 2, dist. 27, quaest. 1, art. 3*). Atqui actus meritorii beatæ Virginis, quatenus dignificati per gratiam habitualem, non habebant aequalitatem cum Maternitate Dei: ergo non poterant hanc mereri de condigno. — Minor probatur: Maternitas Dei est in sua specie longe altior et praestantior quam gratia habitualis (1). Patet ex eo quod toto ordine sit superior: spectat enim ad ordinem hypostaticum, cum speciem sumat ab ipsa persona divina in se accepta. Econtra gratia habitualis spectat ad ordinem supernaturalem simpliciter, qui speciem habet a Deo non nisi in esse objectivo et intentionali accepto. Quae autem inferioris ordinis sunt, nequeunt adaequare ea quae sunt ordinis superioris: ut patet in actibus naturalibus, qui etsi infinites multiplicarentur, tamen non possunt mereri de condigno praemium supernaturale, vel visionem beatificam. Ergo etiam actus dignificati per gratiam habitualem nequeunt esse aequales in valore cum Maternitate Dei.

Respondetur 3^o: licet beata Virgo Maternitatem Dei non meruerit de condigno, meruit tamen eam de congruo stricte dicto. Ita communis sententia.

Probatur, primo, ex mente Ecclesiae et praeconiis sanctorum Patrum. Ecclesia quippe cantat: « *Quia quem meruisti portare, etc.* » S. AUGUSTINUS (*De Natur. et Grat. cap. 30*): « *Beata Maria concipere Deum meruit et parere.* » Et S. HIERONIMUS

(1) S. THOMAS (*Summ. part. 3, quaest. 7, art. 18*) dicit: « *Gratia unionis hypostaticae non est in genere gratiae habitualis, sed est supra omne genus, sicut et ipsa persona divina.* »

RONYMU (Epist. 22 ad Eustoch.): « *Propone tibi Mariam, quae tantae exstitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* » Item S. PETRUS DAMIANUS (*Serm. 20 de Assumpt.*): « *Singularis ejus sanctitas et gratia hoc promeruit, quod susceptione Dei singulariter judicata est digna.* »

Probatur, secundo, ex S. THOMA (*Summ. part. 3, dist. 4, quaest. 1, art. 4*): « *Beatissima Virgo non meruit Maternitatem, nisi supposita Incarnatione facienda; et sic meruit ut per eam fieret, non quidem merito condigni, sed congrui.* »

Probatur, tertio: sancti patriarchae, per suas orationes, desideria et obedientiam, meruerunt fieri remoti progenitores Christi. Unde dicitur de Abraham (GEN. XXII, 4): « *Benedicentur in semine tuo* (id est, in Christo) *omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae.* » Ergo longe magis beata Virgo per suos praestantissimos actus promeruit fieri Genitrix Christi. Unde dixit sancta Elisabeth (LUC. I, 45): « *Beata, quae credidisti; quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a Domino.* »

ARTICULUS III

An beata Virgo meruerit semper a principio vitae usque ad ejus terminum?

Respondetur 1^o: meritum beatæ Virginis incepit a primo conceptionis instanti. Ita communis theologorum sententia.

Probatur: quia S. THOMAS (*Summ. part. 1, quaest. 95, art. 1*) de primo homine docet quod, pro primo instanti creationis, per actus proprios consenserit et cooperatus fuerit. Idem docet de angelis (*part. 1, quaest. 63, art. 5*) quod in primo creationis instanti meruerint gloriam. Ergo idem dicendum est de beata Virgine, cum par omnino sit ratio, imo a fortiori: quia justificatio beatæ Virginis, pro primo concep-

tionis instanti, erat longe perfectior quam in primo homine et angelis, adeoque cum, non sine merito.

Respondetur 2° : beata Virgo etiam in somnis meruit. Est rursus communis sententia inter theologos Marianos.

Probatur ex S. BERNARDINO SENENSI (*Serm.* 51) dicente : « Somnus, qui mergit et sepelit in nobis rationis et liberi arbitrii actus, et per consequens actum merendi, non credo quod talia in beata Virgine fuerit operatus; sed anima ejus, libero ac meritorio actu, tunc tendebat in Deum. Unde, illo tempore, erat perfectior contemplatrix quam unquam fuerit aliquis alius dum vigilavit. Unde ipsa ait (*Cant.* V, 2) : *Ego dormio, et cor meum vigilat*, scilicet in contemplatione perfecta, a nulla actione debilitata. » Deinde beata Virgo, ab instanti conceptionis, habuit scientiam infusam independentem a sensibus, uti nominatim docet S. ANTONINUS (*Summ.* part. 4, tit. 15, cap. 17) et alii passim (1). Ergo poterat beata Virgo etiam dormiens uti illa scientia, et per actus ejus libere operari.

Respondetur : 3° beata Virgo continuo meruit etiam post Incarnationem.

Probatur ex S. THOMA (*Summ.* part. 3, quaest. 27, art. 5), qui expresse docet quod triplex sit perfectio gratiae in beata Virgine, et una major quam altera : prima quidem qua disposita fuit ut esset idonea Mater Dei ; altera quam adeptam est in incarnatione Filii ex ejus praesentia ; tertia demum quam habuit in gloria. Quod confirmat RUPERTUS (*In Cant.* lib. 6) dicens beatam Virginem fuisse in prima sanctificatione ut

(1) Cf. B. ALBERTUS MAGNUS (*De B. Virg.* cap. 71), S. BERNARDINUS SENENSI (*Serm.* 4 de B. Virg.). — S. THOMAS (*Summ.* part. 1-2, quaest. 113, art. 3) in illa verba (NUM. XII, 6), *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum*, docet prophetam pro tunc habere usum liberi arbitrii ; ergo talis libertas etiam tribuenda est beatae Virgini.

auroram ; in Filii conceptione ut lunam ; in morte ut solem Adeo ut sic semper in gratia profecerit et merita auxerit.

Respondetur 4° : beata Virgo per singulos actus vitae mortalis meruit.

Probatur, imprimis, ex B. ALBERTO MAGNO (*De B. Virg.* cap. 176), qui expresse docet beatae Virgini fuisse hanc peculiarem gratiam concessam, « ut quolibet tempore et opere mereretur. » Quod etiam confirmat S. BERNARDINUS SENENSI (*Serm.* 51), ubi sic habet : « Plus meruit Deipara Virgo quam omnes creaturae, tam angeli quam homines, in cunctis actibus, motibus et cogitationibus suis. » Ergo ex mente Patrum per omnes actus meruit.

Probatur etiam ratione : beata Virgo habebat plenum super omnes actus dominium, et inde nullos actus indeliberatos, et inter deliberatos omnes moraliter bonos, cum nullus detur actus indifferens in individuo, saltem in eo qui perfecte operatur. Talis autem erat beata Virgo, quae omnes etiam actus suos referebat in finem supernaturalem, et quidem in Deum, quatenus summe dilectum : cum nullum habuerit sic operandi ex affectibus inordinatis impedimentum, et Deum sibi semper praesentem per cognitionem perfectissimam ex scientia saltem infusa a sensibus independente. Ergo quia omnes beatae Virginitatis actus ex imperio charitatis processerunt, omnes fuerunt meritorii.

Respondetur 5° : beata Virgo singulis momentis meritum et gratiam duplicavit, et sic usque ad finem vitae immensum in gratia crevit.

Probatur : beata Virgo semper operata est ex tota efficacia charitatis et ex totis viribus praesentis gratiae. Ergo si habuit antecedenter gratiam ut centum, operata est ex totis viribus gratiae ut centum, et per consequens duplicavit gratiam,

acquirendo gratiam ut bis centum. Et quia cum gratia ut bis centum rursus operata est totis viribus, iterum duplicavit gratiam, acquirendo eam cum augmento gratiae quater centum; et sic deinceps. — Antecedens porro, quod ex tota efficacia gratiae operata sit, videtur certum, quia potuit sic operari et sic amare Deum. Quis ergo dubitet quin etiam voluerit sic operari, idque constanter ac indefesse, quia nullum habuit impedimentum, sed plenum dominium sui actus. Unde merito S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm.* 51) ait: « Nihil unquam elegit nisi quod Sapientia divina illi monstrabat; tantumque semper dilexit Deum, quantum a se diligendum existimavit; » id est, quantum diligendum esse ipsum praeceptum divinum insinuat dicens (MATTH. XXII, 27): « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* » Quod non plene et integre observasse beatam Virginem affirmare nefas est. Adeoque semper ex tota virtute charitatis egit, et sic semper duplicavit gratiam.

ARTICULUS IV

Quid beata Virgo nobis meruit merito de congruo?

Nota. — Certum est ex CONCILIO TRIDENTINO (*sess.* 6, *cap.* 6) quod omnia dona supernaturalia nobis proveniant ex meritis Christi: siquidem ad perfectum Salvatorem et Redemptorem pertinet, ut, per merita sua, omnia ad justificationem et salutem necessaria nobis conferat quae Adamus delicto suo nobis demeruit. Et Christus quidem haec nobis promeruit merito de condigno, cum ejusdem merita habeant veram eamque superabundantem condignitatem ad omnia dona gratiae hominibus collata. Hoc ergo supposito tamquam recepto inter theologos, quaestio est utrum haec, quae Christus nobis

meruit de condigno, cadant simul sub meritum beatae Virginis de congruo? Ad quod

Respondetur: quidquid nobis Christus meruit de condigno, etiam beata Virgo nobis promeruit de congruo. Ita VEGA (*Theol. Mar. num.* 1722) et alii doctores Mariani.

Probatur, primo, ex sanctis Patribus. S. EPHREM (*Orat. ad B. Virg.*) ait: « Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro, Filio tuo. Tu captivorum redemptio et omnium salus. Ave, Mediatrix gloriosissima; ave universi terrarum orbis Reconciliatrix. » Si autem beata Virgo est omnium salus, tunc sicut Christus omnium salutem meruit de condigno, sic ipsa eandem meruit de congruo, cum de condigno non potuerit. Idem docet S. IRENAEUS (*Contra Valent. lib.* 3, *cap.* 33), dicens: « Universo generi humano causa salutis facta est. » Et iterum: « Quid est, quod sine Mariae consensu non perficitur mysterium Incarnationis? Quia nempe vult illam Deus omnium bonorum esse principium. » Sed non potest esse omnium honorum principium, nisi morale per suum meritum. Quod concludit S. BONAVENTURA (*Specul. B. Virg.*) his verbis: « Sic Maria dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; id est, Deo offerret, et oblatione hac mereretur id omne quod Christus passione sua meruit. »

Probatur, secundo, auctoritate S. THOMAE (*Exposit. Epist. can.*) dicentis: « Deipara dimidiam partem regni Dei impetravit, ut ipsa sit Regina misericordiae, cujus Filius est rex justitiae; » id est, ut quod Christus ex justitia ac de condigno, ipsa ex congruitate et intermediente Dei misericordia mereretur. Et idem sanctus Doctor (*In Esther VII*) subdit: « Esther regina, id est, Virgo Deipara placuit in oculis Regis ad restorationem generis humani, et invenit gratiam coram eo, non solum pro se, sed pro toto humano genere. » Meruit nempe de congruo ipsam Incarnationem, ut supra probavimus, et

acquirendo gratiam ut bis centum. Et quia cum gratia ut bis centum rursus operata est totis viribus, iterum duplicavit gratiam, acquirendo eam cum augmento gratiae quater centum; et sic deinceps. — Antecedens porro, quod ex tota efficacia gratiae operata sit, videtur certum, quia potuit sic operari et sic amare Deum. Quis ergo dubitet quin etiam voluerit sic operari, idque constanter ac indefesse, quia nullum habuit impedimentum, sed plenum dominium sui actus. Unde merito S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm.* 51) ait: « Nihil unquam elegit nisi quod Sapientia divina illi monstrabat; tantumque semper dilexit Deum, quantum a se diligendum existimavit; » id est, quantum diligendum esse ipsum praeceptum divinum insinuat dicens (MATTH. XXII, 27): « *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* » Quod non plene et integre observasse beatam Virginem affirmare nefas est. Adeoque semper ex tota virtute charitatis egit, et sic semper duplicavit gratiam.

ARTICULUS IV

Quid beata Virgo nobis meruit merito de congruo?

Nota. — Certum est ex CONCILIO TRIDENTINO (*sess.* 6, *cap.* 6) quod omnia dona supernaturalia nobis proveniant ex meritis Christi: siquidem ad perfectum Salvatorem et Redemptorem pertinet, ut, per merita sua, omnia ad justificationem et salutem necessaria nobis conferat quae Adamus delicto suo nobis demeruit. Et Christus quidem haec nobis promeruit merito de condigno, cum ejusdem merita habeant veram eamque superabundantem condignitatem ad omnia dona gratiae hominibus collata. Hoc ergo supposito tamquam recepto inter theologos, quaestio est utrum haec, quae Christus nobis

meruit de condigno, cadant simul sub meritum beatae Virginis de congruo? Ad quod

Respondetur: quidquid nobis Christus meruit de condigno, etiam beata Virgo nobis promeruit de congruo. Ita VEGA (*Theol. Mar. num.* 1722) et alii doctores Mariani.

Probatur, primo, ex sanctis Patribus. S. EPHREM (*Orat. ad B. Virg.*) ait: « Per te reconciliati sumus Christo Deo nostro, Filio tuo. Tu captivorum redemptio et omnium salus. Ave, Mediatrix gloriosissima; ave universi terrarum orbis Reconciliatrix. » Si autem beata Virgo est omnium salus, tunc sicut Christus omnium salutem meruit de condigno, sic ipsa eandem meruit de congruo, cum de condigno non potuerit. Idem docet S. IRENAEUS (*Contra Valent. lib.* 3, *cap.* 33), dicens: « Universo generi humano causa salutis facta est. » Et iterum: « Quid est, quod sine Mariae consensu non perficitur mysterium Incarnationis? Quia nempe vult illam Deus omnium bonorum esse principium. » Sed non potest esse omnium honorum principium, nisi morale per suum meritum. Quod concludit S. BONAVENTURA (*Specul. B. Virg.*) his verbis: « Sic Maria dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; id est, Deo offerret, et oblatione hac mereretur id omne quod Christus passione sua meruit. »

Probatur, secundo, auctoritate S. THOMAE (*Exposit. Epist. can.*) dicentis: « Deipara dimidiam partem regni Dei impetravit, ut ipsa sit Regina misericordiae, cujus Filius est rex justitiae; » id est, ut quod Christus ex justitia ac de condigno, ipsa ex congruitate et intermediente Dei misericordia mereretur. Et idem sanctus Doctor (*In Esther VII*) subdit: « Esther regina, id est, Virgo Deipara placuit in oculis Regis ad restorationem generis humani, et invenit gratiam coram eo, non solum pro se, sed pro toto humano genere. » Meruit nempe de congruo ipsam Incarnationem, ut supra probavimus, et

inde pro toto humano genere id omne quod cadit sub meritum Filii Dei incarnati.

Probatur, tertio : est certum quod mysterium Incarnationis non fuerit executioni datum sine consensu Mariae. Ergo (ut cum sancto Irenaeo supra laudato inferamus) voluit Deus ut beata Virgo, promerita Christum, omnium honorum ab ipso descendentium esset principium ; nec aliter nisi per consensus sui in redemptionem humani generis et orationis ejus meritum. Unde S. BERNARDINUS SENENSIS (*De Concept. B. Virg.*) non immerito sic sonanter loquitur : « Plus meruit gloriosa Virgo in uno suo consensu conceptionis Filii Dei, quam omnes creaturae, tam angeli quam homines, in cunctis actibus et cogitationibus. » Meruit nempe hoc suo consensu Christum Redemptorem, et omnia bona supernaturalia sub redemptionis opere contenta (1).

Objicitur : meritum Christi se solo est condignum ad promerendam salutem nostram, et se solo est causa motiva adaequata divinae voluntatis ad conferendam nobis salutem ; alias enim Christus non foret perfectus Redemptor : ergo otiosum est meritum beatae Virginis et sine effectu.

Ad quod respondetur argumentum sic generice sumptum esse lutheranum, exclusivum etiam nostrae cooperationis qua commeritoriae salutis. Sicut ergo fide certum est quod, non obstante merito Christi, tamen vere mereamur salutem nostram, ita etiam recepta a Patribus et theologis sententia est, quod etiam beata Virgo influxum meritorium habeat de congruo in nostram salutem, sub diversa nempe ratione quam Christus, uti fuse ostensum est (2).

(1) Confirmatur omnibus illis argumentis quae supra produximus, de Praedestinatione beatae Virginis (*part. 1, quaest. 2, art. 3*); item quod sit Cooperatrix redemptionis humani generis (*part. 2, quaest. 3, art. 4*).

(2) Cfr SEDLMAYR (*Scholast. Mar. part. 3, quaest. 2, art. 8*).

ARTICULUS V

*Utrum bonum nullum in nos veniat,
nisi impetrante Maria ?*

Respondetur : nullum in nos bonum de coelo venit, nisi ex meritis impetratoris beatae Virginis.

Probatur, primo, ex testimonio sanctorum Patrum. Ex quibus S. BERNARDUS (*Serm. de Nativ. B. Virg.*) ait : « Haec est voluntas Dei, quae totum nos habere voluit per Mariam : ut proinde si quid spei, si quid gratiae in nobis est, ab ea noverimus redundare. » Et (*Serm. sup. Salve*) : « Per Mariam speramus nos posse consequi quidquid totius bonitatis Auctor dignatus fuerit nobis impertire. » Sancto Bernardo consonat S. BERNARDINUS SENENSIS (*De glor. Nom. Mariae, art. 3, cap. 2*) inquit : « Nulla gratia ad animas descendit de coelo, quae non a Virgine Maria dispensetur. » Et S. HIERONYMUS (*Serm. de Assumpt.*) : « In Christo fuit plenitudo gratiae sicut in capite influente ; in Maria vero sicut in collo transfundente. » Nullus autem descendit influxus de capite, nisi per collum ; adeoque nihil boni ad nos venit de coelo, nisi impetrante vel merente Maria. Idem confirmat S. GERMANUS C.P. (*Orat. de Zona*) dicens : « Nullus est qui salvus fiat, nisi per te, o sanctissima ! Nullus est qui liberetur a malis, nisi per te, o purissima ! Nemo est cui donum concedatur, nisi per te, o castissima ! » Ergo, ex mente sanctorum Patrum, quidquid boni de coelo ad nos venit, per Mariam descendit (1).

Probatur, secundo : nos per Adae peccatum omni boni indigni facti sumus. Ergo, ut qualecunque bonum ad nos veniat, debet illud venire per Christum condigne quoad

(1) Cfr S. ALPHONSUS DE LIGUORIO (*Gloires de Marie, 1^{re} partie, chap. 5 : Marie, notre Médiatrice*).

sufficiantiam, et intercedente merito congruo beatæ Virginis quoad efficaciam. Quod ipsum S. BERNARDUS (*Serm. 3, Vigil. Nat. Dom.*) edicit: « Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ ut per illam acciperes quidquid haberes. » Unde nihil boni excipit; et quamvis principaliter loquatur de bono supernaturali ordinato ad salutem æternam, tamen ratio evincit quod de omni sit intelligendus, quia omni bono naturali et supernaturali sumus indigni per Adæ peccatum. Unde omne debebat in nos venire per merita Christi et beatæ Virginis.

Probat, tertio: est regula Patrum et theologorum id esse asserendum quod de se fidei non repugnat, et alias cedit in gloriam Christi et Matris. Atqui hoc, quod omnia bona per Mariam in nos veniant, cedit in gloriam Christi et Matris ejus: ergo id est asserendum. — Minor probatur: cedit in gloriam Christi quod, cum Matris sit debitor, velit ei vices reddere, et pro reddendo omnia bona nobis conferenda committere, quia hoc, et pietatem filialem commendat, et observantiam Christi erga Matrem extollit; ac simul ostendit quod, committendo hæc uni Virgini, se huic debere fateatur quantum alii filii utrique parenti debent: ergo assertum hoc Christi et Matris gloriam adauget. — Confirmatur hoc dicto S. THEOPHILI ALEXANDRINI (*De Incarn. Verbi*) sic loquentis: « Gaudet Filius orante Matre, quia omnia quæ nobis precibus suæ Genitricis evictus donat, ipsi Matri se donare putat, et acceptæ ab illa sine patre humanitatis vices reddere gaudet. » Ergo cedit ad gloriam Christi, ad ejusdem filialem observantiam et gratitudinem extollendam, dicere quod omnia bona nobis conferenda suæ Matri obtulerit; et hoc ipso etiam ad gloriam beatæ Virginis, cui ista commissa sunt, et a qua nos in omnibus dependemus.

Objicitur: si omnia bona nobis provenirent per beatam Virginem, deberemus illius opem in omnibus implorare; sed

hoc videtur onus a Christo non impositum, utpote qui nos potius contrarium edocuit dicendo (MATTH. VI, 9): « Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in coelis. » Ergo a Deo, non a beata Virgine, nos bona omnia docuit postulare.

Ad quod respondetur omnino preces nostras dirigendas esse ad Deum, sed non sine Maria, quia per hanc securius postulata obtinebimus. Deinde in Patre etiam Filius invocatur; et in Filio et Patre Mater quoque indicatur. Quod optime advertit TERTULLIANUS (*De Orat. cap. 2*) dicens: « Sic ergo vos orabitis: Pater noster, etc. In Patre Filius invocatur, nec Mater quidem præteritur: siquidem in Filio et Patre Mater recognoscitur, de qua constat et Patris et Filii nomen. » Tandem, licet non expresse constet ex Scriptura quod omnia bona per beatam Virginem ad nos perveniant, debeamusque ad illam recurrere pro his obtinendis, sufficiat tamen quod constet ex sanctorum Patrum assertis, qui, quæ obscura sunt, et quæ rationi conveniunt, declarant, uti optime notat S. AUGUSTINUS (*Serm. de Assumpt.*) dicens: « Ubi Scriptura nihil de beata Virgine commemorat, inquirendum est quid conveniat rationi, fiatque ipsa ratio auctoritas, sine qua neque est nec valet auctoritas. »



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO SECUNDA

DE SACRAMENTIS A BEATA VIRGINE SUSCEPTIS

ARTICULUS I

Utrum beata Virgo fuerit baptizata?

Respondetur : beatissima Virgo recepit sacramentum Baptismi. Ita communissima sententia, cum SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 18, sect. 3*).

Probatur, primo : beata Virgo fuit vere obligata praecepto Baptismi pronuntiato (JOAN. III, 5) : « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* » Quod praeceptum ita universale est, ut, teste S. AMBROSIO (*De Abraham, lib. 3*), omnes omnino comprehendat. Haec sunt ejus verba : « *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate praeventum, etc.* » Ergo, quia supponi et dici non potest quod beata Virgo divinum praeceptum transgressa sit, Baptismi sacramentum recepit (1).

Probatur, secundo, aequè stringenter : quia Baptismus est janua per quam intratur in Ecclesiam ; et est signaculum per quod fideles constituuntur, et, mediante caractere impresso,

(1) SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 29, sect. 1*) ait : « *Valde pium et probabile est Christum ante apostolos Virginem manibus suis baptizasse.* » Et EUTHYMIUS (*In Joan. III*) : « *Scribunt quidam apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum et Virginem Matrem baptizaverit.* »

signantur nembra Ecclesiae a Christo Domino institutae, et simul aptantur et habilitantur ad alia novae Legis sacramenta recipienda. Atqui beata Virgo est perfectissimum membrum Ecclesiae a Christo institutae, certo habilitatum ad reliqua sacramenta, uti Eucharistiae : ergo certo et indubitanter recepit Baptismum.

Objicitur : nemo potest suscipere sacramentum, nisi in eo verificetur forma : ergo hoc sacramentum nequivit recipere beata Virgo. — Minor probatur : forma Baptismi essentialiter significat ablutionem a peccato originali ; atqui forma Baptismi nequit habere hanc significationem respectu beatae Virginis, cum peccato originali caruerit.

Ad quod respondetur significationem essentialem formae sacramentalis salvari per hoc, quod forma significet de se gratiam ablutivam, seu remissivam peccati originalis : quod apud beatam Virginem facit gratia baptismalis ; quia, licet de facto non remittat peccatum originale, cum jam supponat remissum, est tamen, quantum est de se, remissiva illius. — Instantia est in forma sacramentali Poenitentiae, quia et haec significat ablutionem a peccatis actualibus, et tamen sufficienter verificatur ex eo quod significet gratiam santificantem remissivam peccati actualis : id est, per se et ex natura sua tendentem ad illud remittendum, licet subinde jam inveniat remissum.

ARTICULUS II

Utrum beata Virgo receperit sacramentum Confirmationis ?

Respondetur : beata Virgo recepit sacramentum Confirmationis, non quidem ritu quo nos illud recipimus, sed tamen quoad effectum ex opere operato ultra meritum proprium, et

characterem ad fortiter propugnandam fidem. Ita, quoad omnes partes, communiter Patres et Doctores.

Probatur prima pars. « Quod beata Virgo sacramentum Confirmationis susceperit, non potest verti in dubium, ait VASQUEZ (*part. 3, disp. 119, cap. 7*) : nam sicuti apostoli habuerunt in eminenti supra alios fideles effectum hujus sacramenti, qui est gratia Spiritus Sancti et robur ad propugnandam fidem, ita et beata Virgo habuit, cum expresse dicatur (ACT. II, 2) : *Replevit totam domum.* » Ergo vere recepit hoc sacramentum.

Probatur secunda pars, quod non receperit eo ritu quo nos : quia sacramentum Confirmationis est, propter characterem, irreiterabile. Ergo, quia beata Virgo una cum apostolis hoc sacramentum quoad effectum gratiae ex opere operato, et characterem, jam recepit in die Pentecostes sub signo visibili ignitarum linguarum, non potuit amplius recipere sub eo ritu quo receperunt primi fideles, sub impositione manuum. — Confirmatur : videtur certum omnino apud omnes quod apostoli, ex quo receperunt Spiritum Sanctum in die Pentecostes, non susceperint aliam Confirmationem per impositionem manuum ad invicem. Ergo idem dicendum est de beata Virgine ; et per consequens haec non recepit Confirmationem eo ritu quo caeteri fideles.

Probatur etiam tertia pars, quod receperit vere quoad effectum : quia id clare definitur quoad apostolos a CONCILIO FLORENTINO, sub Eugenio IV, inquirente : « Effectus hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est apostolis in die Pentecostes, ut christianus audacter Christi nomen confiteatur. » Ergo, quia plenitudo gratiae quae venit in apostolos longe superabundantius venit in Mariam Virginem, ipsa certe cum apostolis accepit, quantum ad effectum sacramentalem Confirmationis. — Confirmatur : de intentione Dei est ut homo spiritualiter regeneretur

mediante baptismo, et perveniat ad spiritualis aetatis perfectionem, quod consequitur per effectum sacramentalem Confirmationis. Atqui haec intentio frustrari non potuit in beata Virgine, cum prae aliis eam oportuerit repleti gratiae plenitudine et perfectione: ergo effectus Confirmationis nequit denegari Virgini Deiparae.

ARTICULUS III

*Utrum beata Virgo quotidie fuerit refecta
sacra Eucharistia?*

Nota. — Nulla de Virgine Deipara, dum agitur de Eucharistia instituenda, mentio fit in Evangelio. Fuit tamen, tempore dominicae Coenae, Hierosolymis, uti constat ex Evangelio (JOAN. XIX, 25), quod ait eam, sequenti die, *stetisse juxta crucem*. Unde RUPERTUS (*In Cant. lib. 5*) asserit beatissimam Virginem omnibus Coenae ultimae mysteriis fuisse praesentem; et VIGUERUS (*Decachord. cap. 7*) eam Agnum paschalem cum mulieribus comedisse, et quidem in eadem domo, alio tamen conclavi. Quo supposito,

Respondetur: beata Virgo quotidie sacram Synaxim recepit. Ita communis Doctorum, cum GANISIO (*De Deipara, lib. 1, cap. 9*) sententia.

Probatur, primo: rationem dat SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 18, sect. 3*) usum sacramenti Eucharistiae fuisse in praecepto, et Virginem Deiparam observasse non aliter quam praeceptum de Baptismo. Et quidem ipse usus quotidianae communionis erat ab initio sub praecepto apostolico, ut docet VASQUEZ (*part. 3, disp. 214*), vel saltem, ut putat Suarez, de consilio, cum per se sit res sanctissima, utilissima, et eximiae

charitati beatae Virginis erga Filium omnino conformis (1). Ergo certum videtur quod Virgo Deipara singulis diebus fuerit sacra Synaxi refecta. — Confirmatur: usus Eucharistiae est bonum praestantissimum, et nemo illud magis aestimare potuit quam Virgo Deipara. Ergo dubium esse non potest, quin quotidie Eucharistia fuerit refecta.

Probatur, secundo: sub nullo corde Christus libentius delituit quam sub corde suae Matris, quia nullum purius, nullum sanctius, nullum sincero amore inflammatus fuit: ergo, sicut Christo acceptissima fuit quotidiana beatae Virginis communio, sic et ipsa ejusdem desideratissima fuit.

ARTICULUS IV

*Utrum beata Virgo sacramentum Ordinis suscepit,
aut recipiendi capax fuerit?*

Respondetur: beata Virgo fuit sacramenti Ordinis incapax jure divino, et per consequens non habuit potestatem sacerdotalem. Est de fide.

Probatur, primo, verbis INNOCENTII III: « Licet beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuerit apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni coelorum commisit. » Unde ait GLOSSA: « Officium clavium non cadit in sexum femineum. » Et S. CLEMENS ROMANUS (*Constit. Apost. lib. 3, cap. 6*) ait: « Mariae permissum fuisset munus docendi, nisi officia sacerdotalia retro saeculis novae et antiquae Legis mulieribus vetita fuissent. »

Probatur, secundo, ex perpetua Ecclesiae traditione: quia, ut advertit S. EPIPHANIUS (*Haeres. 79, num. 2 et 3*), a tempore mundi conditi, nulla unquam mulier apud verae religionis

(1) S. HIERONYMUS (*Advers. Jovin.*) ait: « Scio Romae hanc consuetudinem esse, ut fideles semper Christi corpus accipiant, id est, quotidie. »

cultores officio sacerdotali functa est : quod certo traditionem divinam demonstrat. Specialiter de novo Testamento inquit laudatus S. Epiphanius : « Si sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut canonicum quiddam in Ecclesia praestare liceret, nulli potius quam Mariae committi sacerdotis officium debuisset. Verum longe Deo aliter visum est. » Ergo manifestum est, ex traditione veteris et novae Legis, quod mulieres, in quarum numero etiam beata Virgo est, sint incapaces sacramenti Ordinis.

ARTICULUS V

*Utrum beata Virgo sacramentum
Poenitentiae receperit?*

Respondetur 1° : beata Virgo non fuit subjecta praecepto divino confessionis. Ita communior sententia theologorum, cum SUAREZ (*tom. 4, disp. 55, sect. 1, num. 1*).

Probatur efficaci argumento : quia praecepto divino confessionis non obligantur, nisi qui habent peccata mortalia post baptismum commissa. Sed fide certum est quod beata Virgo non commiserit aliquod mortale peccatum post baptismum : ergo beata Virgo non fuit subjecta praecepto divino confessionis. — Major probatur ex CONCILIO TRIDENTINO (*sess. 4, cap. 4*) dicente : « Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter, citraque omnem praesumptionem, in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis curari possunt. » Ergo sola lethalia peccata stant sub praecepto divino confessionis ; et per consequens beata Virgo, quae nunquam simile commisit, non fuit obnoxia praecepto confessionis.

Respondetur 2° : beatissima Virgo nunquam suscepit sacramentum Poenitentiae. Ita communis sententia.

Probatur, primo : in beata Virgine defuit materia remota et proxima, sufficiens et necessaria ad receptionem hujus sacramenti. Remota quidem, quia neque habuit peccata gravia tamquam materiam necessariam, neque peccata levia tamquam materiam sufficientem, uti omnino certum est. Ergo non suscepit nec potuit recipere sacramentum Poenitentiae.

Probatur, secundo, specialiter de dolore et confessione, tamquam materia proxima sacramenti Poenitentiae, uti definit CONCILIIUM TRIDENTINUM (*sess. 14, cap. 3, et can. 4*). Sine his ergo sacramentum Poenitentiae non subsistit. Atqui beatissima Virgo non potuit confiteri peccatum, cum nullum unquam habuerit ; nec potuit dolere de peccato quod nunquam commisit : ergo non potuit recipere sacramentum Poenitentiae.

Objicitur 1° : potuit Virgo Deipara confiteri sub conditione, si aliquam forsam culpam commisisset ; cum bonarum conscientiarum sit ibi timere delictum ubi nec levissima culpa est. Imo SALMERON (*tom. 3, tract. 46, in illa verba : Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Luc. II, 48*) ait hunc dolorem forsam ortum fuisse ex timore cujusdam negligentiae in servando tanto deposito admissae ; et quia tanquam vere amans humilitatis poterat timere, ne tot et tantis Dei beneficiis in se acceptis sufficienti gratitudine et bonorum operum foenore responderet. Ergo capax erat sacramenti Poenitentiae, quia poterat ipsi dari absolutio sub conditione.

Ad quod respondetur beatam Virginem optime scivisse se nullius culpa ream esse, quia experientia se introspectit quod continuo et sine intermissione feratur in Deum actu amoris intensissimo, et identidem duplicato, cum quo stare non potest vel levissima peccati labes ; et sic nequidem sub conditione, vel dubio, potuisset se accusare et dolere de aliquo peccato prout a se commisso. Unde neque capax fuit alicujus absolu-

tionis conditionatae, cum haec non possit dari nisi pro casu prudentis dubii.

Objicitur 2° : beata Virgo potuit observare legem Purificationis ad aliorum exemplum, licet nullam immunditiam legalem haberet. Ergo potuit etiam confiteri et sacramentum Poenitentiae suscipere ad aliorum exemplum, licet nullum peccatum haberet.

Ad quod respondetur esse latam disparitatem : quia, licet in se non fuerit legaliter immunda, tamen in communi hominum iudicio habebatur pro immunda, cum nemo praeter eam et sanctum Joseph sciverit quod sine virili semine conceperit ; et sic merito se accommodavit legi Purificationis implendae, ut scandalum vitaret et exemplum humilitatis praeberet. Aliud est in sacramento Poenitentiae, quia hoc requirit pro materia sua verum aliquod peccatum, et dolorem de eo quatenus a se commisso. Sed Virgo Deipara caruit peccato, et inde etiam dolore de peccato a se commisso ; et per consequens non potuit suscipere sacramentum Poenitentiae, et per hujus susceptionem aliis exemplum dare. Imo majus exemplum dedit non confitendo, quia fideles ejus innocentiam et puritatem ab omni macula peccati in omni conversatione videbant, et ad omnem possibilem sequelam se aedificabant in sanctissima Virgine.

ARTICULUS VI

Utrum beata Virgo sacramentum Extremae Uctionis receperit ?

Respondetur : beata Virgo non recepit sacramentum Extremae Uctionis. Est probabilis sententia, quamvis oppositam teneat B. ALBERTUS MAGNUS (*In Marial. cap. 72*) cum aliis.

Probatur :

1° CONCILIUM TRIDENTINUM (*sess. 4, cap. 9*), de sacramento

Extremae Uctionis agens, vocat illud consummativum Poenitentiae ; sed beata Virgo non recepit, nec recipere potuit sacramentum Poenitentiae : ergo neque Extremae Uctionis.

2° Effectus sacramenti Extremae Uctionis est tollere reliquias peccatorum ; sed in beata Virgine nec est peccatum, nec reliquiae peccatorum : ergo illa non fuit capax effectus hujus sacramenti, et sic neque ipsius sacramenti.

3° Sacramentum Extremae Uctionis institutum est ad confirmandum infirmum adversus morbum, et tollendos ab eo angores animi, et insultus ac tentationes diaboli ; sed beata Virgo his omnibus caruit, cum sine morbo fuerit mortua, uti infra monstrabitur, et angores animi ac insultus diaboli passa non sit : ergo caruit effectu ad quem hoc sacramentum per se institutum est ; et per consequens, etiam incapax fuit hujus sacramenti.

4° In beata Virgine non verificatur forma hujus sacramenti, quae sonat : *Ignoscat tibi Deus quidquid deliquisti*, cum beata Virgo nihil deliquerit : ergo beata Virgo non fuit capax hujus sacramenti.

Objicitur : effectus primarius Extremae Uctionis est augmentum gratiae ex opere operato. Atqui SUAREZ (*tom. 4, part. 3, disp. 44, sect. 1*) putat esse prodigalitatem quandam spiritualem negligere effectum hujus sacramenti, qui est ex opere operato, et hoc non esse supponendum de beata Virgine quod omiserit occasionem gratiam suam sanctificantem augendi, dum potuit, ex opere operato. Ergo beata Virgo Christi institutionem non frustravit ; et sic non est ratio negandi quod beata Virgo hoc sacramentum receperit.

Ad quod respondetur effectum primarium Extremae Uctionis esse augmentum gratiae ex opere operato, quatenus alleviativum et corroborativum *infirmi* in extrema lucta, quod

ipsa unctio significat. Sed beata Virgo, uti supra dictum est, nulla infirmitate laboravit, nec ullas anxietates, contra quas debuisset confirmari, sustinuit : ergo non fuit capax sacramenti Extremæ Uctionis.

ARTICULUS VII

Utrum beata Virgo verum Matrimonium cum sancto Joseph contraxerit, et ob quasnam causas Matrimonio copulata fuerit?

Ad primum respondetur : certum est, et probabilius de fide, quod beata Virgo cum sancto Joseph verum Matrimonium contraxerit.

Probatur, primo, allegando loca sacrae Scripturae. Nam ibi dicitur (MATTH. I, 16) : « *Jacob genuit Joseph, virum Mariae.* » Et (V, 19) : « *Joseph autem vir ejus, cum esset justus.* » Et sic dicitur Joseph Mariae *vir*, quod est proprium nomen mariti. Similiter beata Virgo vocatur *uxor* et *conjux*. Etenim habetur (MATTH. I, 20) : « *Joseph, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* » Et (versu 24) : « *Joseph accepit conjugem suam.* » Et rursus (LUC. II, 5) : « *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore.* » Quae omnia, in sensu proprio accepta, in quo verba Scripturae per se sumenda sunt, teste S. AUGUSTINO (*De Gen. cap. 1 et 7*), significant Matrimonium proprie sumptum; et quia etiam sancti Patres communi sensu haec accipiunt de Matrimonio rato, solum excipientes Matrimonium consummatum, ideo vix dubitari potest quod sit res omnino de fide, quod sanctus Joseph sit maritus Mariae.

Probatur, secundo : sancti Patres ex professo refutant haeticos Joseph habentes tantum pro marito putatitio. Nam S. AUGUSTINUS, *Contra Julianum*, asserentem quod

Evangelista tantum loquatur ex vulgi opinione, qua Maria et Joseph putantur esse conjuges, ait : « *Nec putemus Evangelistam id facere potuisse, cum vel sua vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem populi loqueretur. Sed numquid angelus loquens unus ad unum contra conscientiam suam et ipsius, cui loquebatur, secundum opinionem potiusquam secundum veritatem fuerit locutus, cum dixit : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam?* » Ubi sanctus Augustinus expresse tuetur Mariam et Joseph non esse conjuges putatitios, et in aestimatione vulgi tantum, sed veros, in vi tamen Matrimonii rati, ut exponit S. AMBROSIVS (*De Instit. Virgin. cap. 6*) dicens : « *Desponsata viro conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugis nomen asciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* »*

Probatur, tertio, ex loco Evangelii (MATTH. I) ubi describitur generatio Christi per progenitores sancti Joseph. Sed si Joseph non esset conjux et vir proprie dictus, non potuisset progenies Christi ex illo duci; quia nec carne, nec jure conjugii foret Christi pater. Ergo Joseph est vere conjux. Nec putetur sanctum Joseph tantum dici patrem putatitium Christi, et per consequens posse etiam dici conjugem putatitium Mariae : quia] contra est quod tantum dicatur pater Christi putatitius secundum carnem; et sic etiam dici tantum possit conjux putatitius matrimonii consummati, non rati; quia, spectando Matrimonium ratum inter Mariam et Joseph, dicendus est Joseph et pater, et conjux verus, non putatitius : secus ex vero progenies Christi duci non posset per Joseph.

Probatur, quarto, ratione : angelus dixit : « *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (MATTH. I, 20). » Sed si beata Virgo non fuisset vera conjux, non potuisset Joseph eam velle dimittere, quia nemo dimittit quod non habet, et

ipsa unctio significat. Sed beata Virgo, uti supra dictum est, nulla infirmitate laboravit, nec ullas anxietates, contra quas debuisset confirmari, sustinuit : ergo non fuit capax sacramenti Extremæ Uctionis.

ARTICULUS VII

Utrum beata Virgo verum Matrimonium cum sancto Joseph contraxerit, et ob quasnam causas Matrimonio copulata fuerit?

Ad primum respondetur : certum est, et probabilius de fide, quod beata Virgo cum sancto Joseph verum Matrimonium contraxerit.

Probatur, primo, allegando loca sacrae Scripturae. Nam ibi dicitur (MATTH. I, 16) : « *Jacob genuit Joseph, virum Mariae.* » Et (V, 19) : « *Joseph autem vir ejus, cum esset justus.* » Et sic dicitur Joseph Mariae *vir*, quod est proprium nomen mariti. Similiter beata Virgo vocatur *uxor* et *conjug.* Etenim habetur (MATTH. I, 20) : « *Joseph, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* » Et (versu 24) : « *Joseph accepit conjugem suam.* » Et rursus (LUC. II, 5) : « *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore.* » Quae omnia, in sensu proprio accepta, in quo verba Scripturae per se sumenda sunt, teste S. AUGUSTINO (*De Gen. cap. 1 et 7*), significant Matrimonium proprie sumptum; et quia etiam sancti Patres communi sensu haec accipiunt de Matrimonio rato, solum excipientes Matrimonium consummatum, ideo vix dubitari potest quod sit res omnino de fide, quod sanctus Joseph sit maritus Mariae.

Probatur, secundo : sancti Patres ex professo refutant haeticos Joseph habentes tantum pro marito putatitio. Nam S. AUGUSTINUS, *Contra Julianum*, asserentem quod

Evangelista tantum loquatur ex vulgi opinione, qua Maria et Joseph putantur esse conjuges, ait : « *Nec putemus Evangelistam id facere potuisse, cum vel sua vel cujuslibet alterius hominis verba narraret, ut secundum opinionem populi loqueretur. Sed numquid angelus loquens unus ad unum contra conscientiam suam et ipsius, cui loquebatur, secundum opinionem potiusquam secundum veritatem fuerit locutus, cum dixit : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam?* » Ubi sanctus Augustinus expresse tuetur Mariam et Joseph non esse conjuges putatitios, et in aestimatione vulgi tantum, sed veros, in vi tamen Matrimonii rati, ut exponit S. AMBROSIVS (*De Instit. Virgin. cap. 6*) dicens : « *Desponsata viro conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugis nomen asciscitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* »*

Probatur, tertio, ex loco Evangelii (MATTH. I) ubi describitur generatio Christi per progenitores sancti Joseph. Sed si Joseph non esset conjux et vir proprie dictus, non potuisset progenies Christi ex illo duci; quia nec carne, nec jure conjugii foret Christi pater. Ergo Joseph est vere conjux. Nec putetur sanctum Joseph tantum dici patrem putatitium Christi, et per consequens posse etiam dici conjugem putatitium Mariae : quia] contra est quod tantum dicatur pater Christi putatitius secundum carnem; et sic etiam dici tantum possit conjux putatitius matrimonii consummati, non rati; quia, spectando Matrimonium ratum inter Mariam et Joseph, dicendus est Joseph et pater, et conjux verus, non putatitius : secus ex vero progenies Christi duci non posset per Joseph.

Probatur, quarto, ratione : angelus dixit : « *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (MATTH. I, 20). » Sed si beata Virgo non fuisset vera conjux, non potuisset Joseph eam velle dimittere, quia nemo dimittit quod non habet, et

angelus non veraciter Mariam vocasset conjugem, si non esset (Cfr S. THOMAS, *Summ. part. 3, quaest. 29, art. 2*). — (1)

Ad secundum respondetur cum S. THOMA (*Summ. part. 3, quaest. 29, art. 1*): Conveniens fuit Christum de desponsata Virgine nasci, tum propter ipsum, tum propter Matrem, tum etiam propter nos.

1° Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione: prima, ne ab infidelibus tamquam illegitime natus rejiceretur; secunda, ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur; tertia, ut partus ejus diabolo celaretur; quarta, ut a Joseph nutriretur tamquam patre jure conjugii legitimo.

2° Ex parte Virginis: primo quidem, quia per hoc redditur immunis a poena, « ne scilicet lapidaretur a Judaeis ut adultera, » ut dicit S. HERONYMUS (*Advers. Helvid. cap. 1*); secundo, ut per hoc ab infamia liberaretur; tertio, ut ei a Joseph ministerium exhiberetur.

3° Ex parte nostra: primo quidem, quia testimonio Joseph comprobatum est Christum ex virgine natum; secundo, quia ipsa verba Virginis Matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis; tertio, ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam; quia in persona Mariae, desponsatae et virginis, et virginitas et matrimonium honorantur contra haereticos alterutri horum detrahentes.

(1) Indubium est quod Matrimonium beatæ Virginis cum sancto Joseph fuerit contractum ante annuntiationem angeli ad Mariam. Idcirco Ecclesia festum *Desponsationis B. M. V.* celebrat die 23 Januarii.

QUAESTIO TERTIA

DE MORTE, RESURRECTIONE ET ASSUMPTIONE
BEATAE VIRGINIS

ARTICULUS I

*Utrum, et quonam genere mortis, beata Virgo
mortua fuerit?*

Ad primum respondetur: beata Virgo est vere mortua. Ita certa sententia Ecclesiae (1).

Probatur, primo, ex universali traditione, quae hunc per totum orbem felicem transitum et mortem beatæ Virginis celebrat; et quia dies obitus pro die 15 Augusti passim in Martyrologiis Bedae, Usuardi, Adonis et Romano adnotatur.

Probatur, secundo, unanimi consensu Patrum (apud CANSIUM, *De Deip. lib. 5, cap. 3*). Inter hos S. DAMASCENUS (*Homil. 2 de Dormit. B. Virg.*) narrat quomodo apostoli, per orbem praedicationis causa dispersi, puncto convenerint Jerosolymam ad Christi Matrem morti proximam, et ejus beatæ migrationi interfuerint, ac corpus in horto Gethsemani sepeliverint. Qui etiam refert Juvenalem, episcopum Jerosolymitanum, Marciano et Pulcheriae Augustis de retegendo, sicubi esset, Mariae corpore, sollicitis respondisse Jerosolymis

(1) Ostensum est supra (*part. 1, quaest. 5, art. 6*) beatam Virginem fuisse praeditam dono immortalitatis statui innocentiae competentis.

angelus non veraciter Mariam vocasset conjugem, si non esset (Cfr S. THOMAS, *Summ. part. 3, quaest. 29, art. 2*). — (1)

Ad secundum respondetur cum S. THOMA (*Summ. part. 3, quaest. 29, art. 1*): Conveniens fuit Christum de desponsata Virgine nasci, tum propter ipsum, tum propter Matrem, tum etiam propter nos.

1° Propter ipsum quidem Christum quadruplici ratione: prima, ne ab infidelibus tamquam illegitime natus rejiceretur; secunda, ut consueto modo ejus genealogia per virum describeretur; tertia, ut partus ejus diabolo celaretur; quarta, ut a Joseph nutriretur tamquam patre jure conjugii legitimo.

2° Ex parte Virginis: primo quidem, quia per hoc redditur immunis a poena, « ne scilicet lapidaretur a Judaeis ut adultera, » ut dicit S. HERONYMUS (*Advers. Helvid. cap. 1*); secundo, ut per hoc ab infamia liberaretur; tertio, ut ei a Joseph ministerium exhiberetur.

3° Ex parte nostra: primo quidem, quia testimonio Joseph comprobatum est Christum ex virgine natum; secundo, quia ipsa verba Virginis Matris magis credibilia redduntur suam virginitatem asserentis; tertio, ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam; quia in persona Mariae, desponsatae et virginis, et virginitas et matrimonium honorantur contra haereticos alterutri horum detrahentes.

(1) Indubium est quod Matrimonium beatæ Virginis cum sancto Joseph fuerit contractum ante annuntiationem angeli ad Mariam. Idcirco Ecclesia festum *Desponsationis B. M. V.* celebrat die 23 Januarii.

QUAESTIO TERTIA

DE MORTE, RESURRECTIONE ET ASSUMPTIONE
BEATAE VIRGINIS

ARTICULUS I

*Utrum, et quonam genere mortis, beata Virgo
mortua fuerit?*

Ad primum respondetur: beata Virgo est vere mortua. Ita certa sententia Ecclesiae (1).

Probatur, primo, ex universali traditione, quae hunc per totum orbem felicem transitum et mortem beatæ Virginis celebrat; et quia dies obitus pro die 15 Augusti passim in Martyrologiis Bedae, Usuardi, Adonis et Romano adnotatur.

Probatur, secundo, unanimi consensu Patrum (apud CANSIUM, *De Deip. lib. 5, cap. 3*). Inter hos S. DAMASCENUS (*Homil. 2 de Dormit. B. Virg.*) narrat quomodo apostoli, per orbem praedicationis causa dispersi, puncto convenerint Jerosolymam ad Christi Matrem morti proximam, et ejus beatæ migrationi interfuerint, ac corpus in horto Gethsemani sepeliverint. Qui etiam refert Juvenalem, episcopum Jerosolymitanum, Marciano et Pulcheriae Augustis de retegendo, sicubi esset, Mariae corpore, sollicitis respondisse Jerosolymis

(1) Ostensum est supra (*part. 1, quaest. 5, art. 6*) beatam Virginem fuisse praeditam dono immortalitatis statui innocentiae competentis.

mortuam et sepultam fuisse (1). Idem affirmat S. ANDREAS CRETENSIS (*Orat. 2 de Dormit. B. Virg.* — (1)

Probatur, tertio, cum SUAREZ (*tom. 2, part. 2, disp. 21, sect. 1*): quia, imprimis, decebat omnino beatam Virginem conformari per mortem Christo Domino Filio suo. Deinde, econtra non decebat eam carere commodis et emolumentis quae justi ex morte bene pieque suscepta colligunt, et mortem pretiosam faciunt in conspectu Domini. Tandem, ut appareret eorum error qui postea dicebant eam fuisse naturae angelicae: quam haeresim recenset S. THOMAS (*Summ. part. 3, dist. 14, quaest. 2, art. 1*).

Ad secundum respondetur: 1° beata Virgo non fuit mortua morte violenta per martyrium, uti Christus.

Probatur ex S. AMBROSIO (*In Luc. lib. 2*) his verbis: « Nec littera nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse. » Ergo oraculum Simeonis, « *Tuam ipsius animam pertransibit gladius* (Luc. II, 35), » non est intelligendum de gladio materiali, qui non attingit animam, sed per quamdam similitudinem, ob summos dolores Filii causa toleratos, de gladio animae, seu spirituali. Ideo dicit BARONIUS (*Annal. ad ann. 48*) eos non recipi ab Ecclesia catholica qui tradunt Mariam Virginem martyrio vita functam esse.

2° Beata Virgo nulla infirmitate nec ullo dolore est mortua. Ita communiter Patres. Ex quibus S. J. DAMASCENUS (*Orat. 2 de Dormit. Deip.*) ait: « Neque partus poenam sensit, neque obitus. » Et S. LAURENTIUS JUSTINIANUS (*Serm. de Assumpt.*): « Sicut ab omni mentis et corporis corruptione exstitit libera, ita et a mortis dolore aliena. » Et S. VINCENTIUS FERRERIUS (*Serm. 2 de Assumpt.*): « Sine corruptione concepit, sine

(1) Cfr S. DIONYSIUS (*De divin. Nom. cap. 3*), S. AUGUSTINUS (*De Assumpt.*), S. JUVENALIS (*Hist.*), S. SOPHRONIUS (*De Assumpt.*), etc.

dolore peperit, sine dolore etiam in manibus Filii animam tradidit. »

3° Beata Virgo mortua est vi amoris erga Deum, per congrua desideria Deum movente ad negandum concursum conservativum vitae.

Probatur, primo: S. THOMAS (*Summ. part. 1, quaest. 97, art. 4*) de statu innocentiae docet quod homo in illo statu fuisset immortalis, non ea quidem immortalitate qua non posset mori, uti beati, sed qua non cogeretur mori invitus, seu qua per esum ligni vitae mortem impedire potuisset, usque dum translatus fuisset ad vitam spiritualem in patria: imo, etiam impedire tenebatur, ut docet sanctus Doctor: unde exspectare debuisset divinam voluntatem et ordinationem translationis ad vitam spiritualem in patria. Quod ipsum de beata Virgine, quae dono status innocentiae gaudebat, cum sanctis Patribus et Doctoribus asseritur: quod nempe ex amore erga Deum desideravit dissolvi, et tandem impletum sit desiderium; et Deus, sicut homini in statu innocentiae, ita eidem permiserit non impedire translationem abhinc, ibi quidem sine morte, hic autem per mortem; quia, ex communi sententia, privilegiis status innocentiae gaudebat.

Probatur, secundo, ex sancto Paulo ingemiscente (PHILIPP. I, 23): « *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* » Nam Paulus non ex impatientia et hujus vitae pertaesus cupiebat dissolvi, sed ex amore Dei, ut magis et purius ex visione intuitiva posset Deum amare. Ergo multo magis et vehementius Deipara Virgo hoc desiderio et amore flagrabat, « quia, ut ait S. ANSELMUS (*De Excell. Virg. cap. 4*), superat omnium rerum creatarum amores et dulcedines magnitudo amoris istius Virginis in Filium suum. » — Confirmatur alio loco Scripturae (PSALM. XLI, 1-3): « *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum, fontem vivum. Quando veniam et apparebo ante*

faciem Domini? » Si ergo David tanto desiderio ad videndum Deum et unice amandum flagrabat, non potuit, Virgo beato eo fortius non flagrare, et inde petere, a Deo mori, et obtenta Dei voluntate non amplius impedire mortem.

ARTICULUS II

Utrum in morte beatæ Virginis anima statim assumpta fuerit in coelum?

Respondetur: est omnimode certum quod anima beatæ Virginis, postquam soluta fuit a corpore, statim fuerit assumpta in coelum ad claram Dei visionem.

Probatur, primo, ex definitione Ecclesiae. Nam CONCILIUM FLORENTINUM sic habet: « Definimus illorum animas qui, post sacrum baptismum susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam quæ, post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, mox in coelum recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est. » Idem expresse definit BENEDICTUS XII (*In Extravag. Benedictus Deus*); adeo ut sit declarata et ab Ecclesia sit proposita fidei veritas, quod sicut quævis alia justorum anima a maculis purgata mox in coelum evolat, ita maxime sanctissima beatæ Virginis anima, quæ semper sine macula fuit, mox a corpore soluta in coelum assumpta fuerit.

Probatur, secundo, ratione: quia nihil erat, aut ex parte Dei, aut ex parte dilectissimæ Matris, quod retardaret claram et intuitivam Dei visionem pro tempore solutionis a corpore: ergo statim Deum intuitive vidit. — Antecedens probatur: imprimis nihil impediēbat ex parte Dei, quia Christus coelum, quod erat ante clausum, jam patefecit sua morte et ascensione; nam animas justorum veteris Testamenti secum accepit in

ascensu suo ad coelum, attestante Apostolo (EPHES. I, 23): « *Ascendens in coelum captivam duxit captivitatem.* » Neque quid oberat ex parte Matris: quia erat semper sine macula et visionis intuitivæ Dei capax, cum sit operatio vere spiritualis, independens a corpore. Ergo in morte beatæ Virginis anima statim assumpta fuit in coelum.

ARTICULUS III

Utrum corpus Deiparæ Virginis fuerit divinitus ab omni corruptione præservatum?

Respondetur: corpus Deiparæ Virginis fuit divinitus præservatum ab omni corruptione putrefactiva.

Probatur, primo, ex S. THOMA (*Exposit. sup. Salut. angel.*), ubi agens de tribus maledictionibus quæ datae sunt hominibus propter peccatum, sic habet: « Tertia fuit communis viris et mulieribus, ut scilicet in pulverem reverteremur; et ab hac fuit immunis beata Virgo, quia cum corpore est assumpta in coelum. » Idem docet S. DAMASCENUS (*Orat. 1, de Dormit. B. Virg.*) dicens: « Non enim anima tua in infernum descendit, nec caro tua corruptionem vidit. » Et iterum: « Cujus in partu incolumis virginitas mansit, eadem e vita migrante corpus ita conservatum est, ut non dissolutum fuerit. » Idem confirmat S. AUGUSTINUS (*Serm. de Assumpt.*): « Si in potestate Salvatoris est de sanctorum capite capillum non perire, est et Matrem suam in anima et corpore integram posse servare. Quod si nullus fidelium dubitat hoc eum posse, cur dubitandum est etiam eum velle? Legitur Jonam in ventre ceti præter naturalem usum servasse incorruptum sola misericordia, ut habetur (Jon. II): Mariam incorruptam præter naturam non servabit gratia? Servatus est Daniel in

intemperantissima fame leonum : et non est servata Maria tot dotata meritis dignitatum ? »

Probatur, secundo, ratione : est una ex certis poenis peccati originalis, corruptio humani corporis perfecta, seu resolutio in tabem et pulverem, quia dicitur (GEN. III, 19) : « *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua assumptus es : quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* » Ergo, quia beata Virgo fuit exempta a peccato originali, fuit etiam exempta ab ipsa poena. Unde dicit S. AUGUSTINUS (*Serm. 4 de Assumpt.*) : « Putredo namque et vermis humanae est opprobrium conditionis ; a quo opprobrio, cum Jesus sit alienus, natura Mariae excipitur. »

ARTICULUS IV

Utrum Virgo Deipara fuerit quoad corpus in coelum assumpta ?

Respondetur : esse certum quod Virgo Deipara fuerit etiam quoad corpus in coelum assumpta.

Probatur, primo, ex communi sensu Ecclesiae, quae non solum assumptam in coelum Virginem celebrat, sed etiam sancti Joannis Damasceni et sancti Bernardi homilias legendas fidelibus proponit, quae eandem corpore et anima assumptam disertissimis verbis affirmant. Ob quem communem Ecclesiae sensum SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 21*) ait quod corporea beatæ Virginis assumptio « tam sit recepta, ut a nullo pio et catholico viro possit in dubium vocari, aut sine temeritate negari ; » quia communi Ecclesiae iudicio, quae in simili materia errare non potest, corporea beatæ Virginis assumptio colenda publice proponitur.

Probatur, secundo, auctoritate sanctorum Patrum. Ex quibus S. GREGORIUS TURONENSIS, qui primus assumptæ

Virginis solemnitatem, labente saeculo sexto, creditur in Galliam intulisse, sic habet (*De Miracul. cap. 4*) : « Dominus susceptum Virginis corpus sacratissimum in paradysum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima, cum electis ejus exsultans, aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur. » Et idem confirmat S. ANDREAS CRETENSIS (*Orat. 2 de Laud. assumpt. Virg.*) qui supradictum festum primus apud Graecos saeculo septimo celebre reddidit (1).

Probatur, tertio, ex aliis rationibus ; uti, 1° ex ipso facto : quia virgineum corpus nullibi terrarum invenitur venerationi expositum ; quod tamen Deipara prae omnibus aliis sanctis promereretur, et sic illis major praerogativa tribueretur quam Virgini Deiparae ; 2° quia beata Virgo aliunde singularissimis privilegiis donata fuit, omnino sentiendum est quod ejus corporea assumptio in coelum fuerit accelerata ; 3° quia Christi corpori etiam accidentaliter gloria accedit, quod dilectissimam suam Matrem oculis corporis videat ; et inde etiam singulare gaudium accrescat, quod per anticipatam collationem gloriae honorare et materna obsequia in vita sibi impensa recompensare valeat. Ergo omnino tenendum est quod Virgo Deipara corpore fuerit in coelum assumpta (2).

(1) Cfr etiam S. GREGORIUS MAGNUS (*Sacrament.*), S. ILDEPHONSUS (*Serm. 6 de Assumpt.*), S. DAMASCENUS (*Orat. 2 de Dormit. Deip.*), et alii multi.

(2) Observandum est passim exstare imagines in quibus beata Virgo coelos ascendens representatur ut innixa angelis, quasi nempe fulcramento seu virtute angelorum evecta sit in coelum, ad modum quo Elias in curru igneo elevatus est in altum. At, non fulero angelorum innixa, sed propriae agilitatis dote, beatis indita, in coelum ascendit sanctissima Deipara. Ita communis sententia (Cfr VEGA, *Theol. Mar. num.* 1885, *quaest.* 4). — Constans traditio Ecclesiae tenet quod beata Virgo tertia die a morte resurrexit et assumpta est in coelum quoad corpus. Et hanc sententiam, tamquam communiorem et veriolem tuetur SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 21, sect. 2*).

ARTICULUS V

*Ad quantam gloriam beata Virgo fuerit assumpta,
et an specialem chorum constituat in coelo?*

Ad primum respondetur : beata Virgo transcendit omnium hominum et angelorum hierarchias, 1^o quoad gloriam animae.

Probatur, primo : teste SUAREZ (*tom. 2, disp. 21, sect. 3*), est veritas fidei quam Ecclesia profitetur his verbis : *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros angelorum ad coelestia regna*. Et quam pro certissima veritate, ut dicit laudatus auctor, amplexa est universa Ecclesia. Quod etiam confirmat S. ANSELMUS (*De Excell. Virg. cap. 4*) : « Tota christianitas novit, quae illam super omnes coelos exaltatam, et angelicis choris praelatam, certissime credit. »

Probatur, secundo, ex ratione per sanctos Patres confirmata : quia gloria correspondet gratiae et meritis. Sed constat ex alibi dictis quod Deipara Virgo omnes omnino antecedit gratia et meritis : ergo etiam gloria. Unde S. BERNARDUS (*Serm. 1 de Assumpt.*) inquit : « Quantum gratiae in terris adepti est prae aliis caeteris, tantum obtinuit in coelo gloriae singularis. » Et quia dicitur in Evangelio (MARC. IX, 34) : « *Qui vult inter vos primus fieri in coelis, erit sicut novissimus et omnium minister* ; » ideo Deipara Virgo, quae fuit Christo in humilitate omnium simillima, etiam in gloria post Christum erit omnium sublimissima.

Deinde, beata Virgo transcendit omnes alios, 2^o quoad gloriam corporis.

Est rursus certa sententia, quia expresse dicitur : *Exaltata est super choros angelorum* ; ubi tota Virgo intelligitur, non solum anima.

Constat etiam ex sanctis Patribus. Inter quos S. HIERONYMUS (*Epist. ad Eustoch.*) ait : « Non immerito creditur


quod ipse Salvator per se totus festivus occurrerit, et eam cum gaudio secum in throno collocaverit. » Et S. AUGUSTINUS (*Serm. de Assumpt.*) Mariam sic alloquitur : « Tibi, Domina, thronus Regis debetur. » Adimpletur nempe, in sanctissima Dei Matre, quod pridem fuerat praefiguratum inter Bethsabeam et filium ejus Salomonem (3 REG. II, 19) : « *Hic enim sedit super thronum suum ; positusque est thronus matri regis, quae sedit ac dexteram ejus.* »

Ad secundum respondetur : beatissima Virgo specialem et distinctum chorum in coelis efficit. Ita communis sententia.

Probatur, primo, ex communi sensu Ecclesiae, quae dicit : *Exaltata est super omnes choros angelorum*. Adeoque non est in aliquo certo choro angelorum, sed super omnes exaltata in aliquo determinate superiore et speciali choro ; ita ut de ipsa melius quam de Esther, quae figura ejus est, dicatur : « *Ducta est itaque ad cubiculum regis, et habuit gratiam et misericordiam coram eo super omnes mulieres ; et posuit diadema regni in capite ejus* (ESTHER, II, 16-17). » Constituta nempe est omnium Domina ac Regina ; et sic super omnes ordines et choros collocata.

Probatur, secundo, ex ratione quam suggerit S. BERNARDUS SENENSIS (*Serm. 3 de glor. Nom. Mariae*) : « Certitudinaliter tenendum est quod beata Virgo sit supra omnem puram creaturam in gloria exaltata, tamquam per se implens et complens unum integrum ac totalem statum, cui secundum rectam rationem altera persona congrue addi non potest : quia nullatenus decet Filium Dei, nisi unam solam Matrem naturalem habere. Sed ratio naturalis dicit, ex gratuita lege, quod Mater Regis omnium sit in sede regia super omnes ministrorum ordines collocanda. » Idem dicit GERSON (*Tract. 4, super Magnif.*) : « Virgo sola constituit hierarchiam sub Deo uno et trino : hierarchia prima et summa, apud quam

hierarchiam humanitas Filii sola sublimata sedet a dextris virtutis Dei per unitatem suppositi. » Ergo beata Virgo, tamquam superior omnibus dignitate, constituit distinctum et superiorem chorum omnibus aliis.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO QUARTA

DE CULTU BEATAE VIRGINI DEBITO AC DE EJUS
INVOCATIONE

ARTICULUS I


Utrum beata Virgo sit colenda, et quonam cultu ?

Ad primum respondetur : Deipara Virgo est omnino colenda, cultu interno et externo. Est haec indubia et catholica assertio.

Probatur, primo, ex Evangelio : angelus Gabriel, quando missus a Deo dixit ad Virginem, « *Ave, gratia plena, etc.* (Luc. I. 20), » verum ipsi cultum exhibuit. Non enim ipsam his verbis honorare voluit tamquam sibi aequalem vel inferiorem, sed tamquam Matrem Dei, cum recognitione et reverentia erga Virginis excellentiam, qua est Mater Dei, et inde Domina ac Regina ipsorum etiam angelorum. Nam sicut omnes praecepto divino jussi sunt adorare Christum, juxta illud Apostoli (HEBR. I, 6), « *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei :* » ita etiam jussi sunt venerari Matrem Christi. Et ideo dicitur (APOC. XII) quod inter angelos ortum sit praelium in coelo, dum aliqui hunc cultum exhibuerint, et alii recusaverint.

Probatur, secundo, ex traditione apostolorum : quia « quod universa tenet Ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper

hierarchiam humanitas Filii sola sublimata sedet a dextris virtutis Dei per unitatem suppositi. » Ergo beata Virgo, tamquam superior omnibus dignitate, constituit distinctum et superiorem chorum omnibus aliis.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUAESTIO QUARTA

DE CULTU BEATAE VIRGINI DEBITO AC DE EJUS
INVOCATIONE

ARTICULUS I

Utrum beata Virgo sit colenda, et quonam cultu ?

Ad primum respondetur : Deipara Virgo est omnino colenda, cultu interno et externo. Est haec indubia et catholica assertio.

Probatur, primo, ex Evangelio : angelus Gabriel, quando missus a Deo dixit ad Virginem, « *Ave, gratia plena, etc.* (Luc. I. 20), » verum ipsi cultum exhibuit. Non enim ipsam his verbis honorare voluit tamquam sibi aequalem vel inferiorem, sed tamquam Matrem Dei, cum recognitione et reverentia erga Virginis excellentiam, qua est Mater Dei, et inde Domina ac Regina ipsorum etiam angelorum. Nam sicut omnes praecepto divino jussi sunt adorare Christum, juxta illud Apostoli (HEBR. I, 6), « *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit : Et adorent eum omnes angeli Dei :* » ita etiam jussi sunt venerari Matrem Christi. Et ideo dicitur (APOC. XII) quod inter angelos ortum sit praelium in coelo, dum aliqui hunc cultum exhibuerint, et alii recusaverint.

Probatur, secundo, ex traditione apostolorum : quia « quod universa tenet Ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper

retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » Atqui cultum religiosum Deiparae Virginis universa tenet Ecclesia; nec a conciliis institutus esse noscitur, sed semper fuit retentus: ergo apostolica auctoritate censetur traditus, et ex hac Deiparae Virgini debitus. — Major est S. AUGUSTINI (*De Bapt. lib. 4*); et inde constat quod evidentius signum traditionis apostolicae assignari nequeat quam constans observatio Ecclesiae, cujus nescitur initium. — Minor probatur tum negative, tum positive. Negative, quia nemo, sive ex haereticis antiquis, sive ex novis, ostendere hucusque potuit hujus religiosi cultus initium. Positive, quia constat ex sensu apostolorum in eorum Liturgiis expresso. Sic LITURGIA LATINA, quam sancti Petri esse tradit S. THOMAS (*Summ. part. 3. quaest. 78, art. 2*), haec habet: « *Communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosae semperque virginis Mariae, Genitricis Dei;* » et iterum: « *Libera nos, quaesumus, Domine, ab omni malo, intercessionibus Mariae Deiparae.* » In LITURGIA SANCTI JACOBI autem legitur: « *Dignum est ut te vere beatam dicamus Deiparam. Semper beatam Matrem Dei nostri, honorabiliorem quam Cherubim, et gloriosiore quam Seraphim, quae sine corruptione Deum Verbum peperisti, te revera Deiparam magnificamus;* » et adhuc: « *Commemorationem agentes sanctissimae Matris Dei, et omnium sanctorum, ut precibus atque intercessionibus eorum misericordiam consequamur.* » Quae talia sunt encomia et laudes quibus Deipara Virgo jure meritissimo omnibus antefertur et colitur.

Probatur, tertio, ex ratione: quia cultus sacer et religiosus est reverentia alteri debita propter excellentiam supernaturalem. Atqui Deipara Virgo est in tali excellentia supernaturali constituta: ergo est colenda cultu sacro et religioso. — Major constat ex ratione nominis; et inde est evidens, quia excel-

lentia supernaturalis, hoc ipso quod talis sit, non est naturalis et mere politica et civilis, cujusmodi reperitur in regibus et principibus. — Minor vero probatur: Maternitas Dei, gratia et gloria Deiparae Virginis sunt mera dona supernaturalia, quibus beatissima Virgo omnes creaturas superat; quia vere est Mater Dei ex dono supernaturali, et in plenitudine gratiae ac supremate gloriae constituta per Auctorem gratiae. Ergo dignitas ejus et excellentia est supernaturalis; ac per consequens cultus eidem debitus est religiosus et sacer.

Probatur, quarto: quia illa omnino a nobis veneranda est et honoranda, quam omnes honorant. Atqui beatam Virginem omnes honorant: et imprimis quidem Deus, qui primum nomen, post nomen Jesu, nomen Mariae in libro vitae scripsit, et ab aeterno in Matrem prae cunctis aliis elegit. Post Deum eam venerati sunt angeli: et primo quidem ab initio creationis suae, per revelationem a Deo ipsis una cum Filio suo propositam adorarunt, ut docet S. THOMAS (*Summ. part. 1. quaest. 57, art. 5*); et satis clare apparet (APOC. XII) in dracone minitante devorare Filium quem Mulier amicta sole erat paritura, et quam angeli boni tamquam Dominam et Reginam sibi a Deo constitutam venerati sunt. Praeterea hanc Virginem superbenedictam et gloriosam omnes patriarchae summis votis expetierunt, omnes prophetae praedixerunt, omnes figurae, Spiritu Sancto praemonstrante, adumbrarunt; et quam ipse Dei Filius adeo honorare dignatus est, ut in Matrem elegerit, ei subditus esse voluerit, et in coelis ad dexteram suam collocarit; et denique quam tota Ecclesia catholica omnibus obsequiis honorat, summis laudibus depraedicat, et depraedicandam semper esse censuit, ac fidelibus proposuit.

Ad secundum respondetur: beata Virgo nullo cultu laetiae est colenda, seu adorabilis.

Probatur, primo, ex S. THOMA (*Summ. part. 3, quaest. 25, art. 5*), qui haec habet: « Nulli purae creaturae rationali debetur cultus latriae. Cum igitur beata Virgo sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed solum veneratio duliae, eminentius tamen quam caeteris creaturis, in quantum ipsa est Mater Dei. Et ideo dicitur quod debetur ei non qualiscumque dulia, sed *hyperdulia*. »

Probatur, secundo, ratione: ille cultus denegandus est beatae Virgini, qui tam a Scripturis quam a Patribus beatae Virgini denegatur. Sed, tam a Scriptura quam a Patribus beatae Virgini, tamquam purae creaturae, denegatur cultus latriae: ergo est omnino eidem denegandus. — Minor probatur. Imprimis Scriptura aperte dicit: « *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (MATTH. IV, 10). » Eodem modo sancti Patres loquuntur. Ex quibus S. AUGUSTINUS (*Contra Faust. cap. 21*) dicit: « Ab illo cultu, qui graece latria dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam Divinitati propria servitus, nec colimus, nec colendum dicimus, nisi unum Deum. » Et S. EPIPHANIUS (*Haeres. 79*): « Sanctum erat Mariae corpus, fateor; non tamen Deus illa fuit, eadem et Virgo exstitit, et honorata fuit, minime tamen nobis ad adorandum proposita; sed eum adorans ipsum, qui e sua carne genitus e coelo ac paterno sinu descenderat. » Ergo beata Virgo non est adorabilis cultu latriae; sed est colenda cultu hyperduliae, ratione maternitatis Dei et sanctitatis eius.

ARTICULUS II

Utrum beatae Virginis oratio in caelis sit precibus omnium sanctorum copulative sumptis potentior?

Respondetur: Deiparae Virginis oratio omnium sanctorum collective sumptorum precibus est potentior.

Probatur, primo, ex theologis. Ex quibus SUAREZ (*tom. 2, part. 3, disp. 25, sect. 2*) ait: « Colligitur ex dictis non solum *intercedere* pro nobis beatam Virginem, sed etiam ejus *intercessionem* esse omnium efficacissimam. Quin potius existimo a Virgine in hac potestate et efficacia non solum sanctos singulos, sed omnem etiam coelestem curiam superari; ita ut si *cogitatione* fingamus beatam Virginem aliquid postulare, totamque curiam coelestem illi resistere, sicut apud Danielem unus angelus alteri resistebat, potentior esset, majorisque efficaciae et valoris apud Deum beatae Virginis, quam reliquorum sanctorum omnium oratio. Et ideo Ecclesia frequentius et altiori quodam modo orat ad Virginem, quam ad reliquos sanctos (1). » — Confirmatur auctoritate S. THOMAE (*Summ. part. 2-2, quaest. 83, art. 11*): « Quanto sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris charitatis, tanto magis orant pro viatoribus qui orationibus juvari possunt; et quanto Deo sunt conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces. » Atqui beatissima Virgo superat in charitate omnes sanctos collective sumptos, et habet majorem conjunctionem cum Deo quam hi omnes simul; quia hi omnes sunt tantum servi Dei et filii adoptivi, ipsa vero est Mater Dei, consanguinea Christo, affinis Deo. Ergo omnes sanctos superat in potentia impetrandi.

Probatur, secundo, ex S. ANTONINO (*Summ. part. 4, art. 5*), cujus verba sic sonant: « Oratio sanctorum non innititur alicui rei ex parte sui, sed tantum misericordiae ex parte Dei. Oratio autem Virginis innititur gratiae Dei jure naturali et justitiae Evangelii. Nam filius non tantum tenetur audire matrem, sed obedire, juxta illud Apostoli, *Filii, obedite parentibus vestris* (Coloss. III, 20), quod est etiam de jure naturae; et ideo oratio Deiparae erat nobilissimus modus

(1) Pro qua eadem sententia stat, cum aliis, VEGA (*Theol. Mar. num. 1762*).

orandi, tum quia habebat rationem jussionis et imperii, tum quia impossibile erat eam non audiri; juxta illud quod in figura ejus dixit Salomon matri suae Bethsabeae, cum aliquid petere vellet: *Pete, inquit, mater mea; neque enim fas est ut avertam faciem tuam* (3 REG. II, 20). » Quod confirmat S. AMBROSIIUS (*Sup. Epist. ad Rom.*) dicens: « Impossibile est preces multorum non exaudiri; et si illae non exaudirentur, exaudiet tamen Filius Matrem. » Ex quibus omnino deducitur quod oratio Deiparae Virginis sit efficacior quam oratio omnium sanctorum collective sumptorum: quia, licet omnes sancti collective sumantur, tamen eorum oratio non habet rationem jussionis, sed simplicis petitionis; nec talem rationem congrui ad exaudiendum, ut fas non sit non exaudiri.

Objicitur: si beatae Virginis oratio esset efficacior oratione omnium sanctorum, tunc illa sola foret imploranda; sed hoc repugnat consuetudini Ecclesiae: ergo ipsius oratio non erit efficacior.

Ad quod respondetur negando majorem: quia, ut dicit S. THOMAS (*Summ. part. 2-2, quaest. 83, art. 11*), oportet non solum superiores, sed etiam inferiores sanctos implorare; alioquin esset solius Dei misericordia imploranda. Est ergo hic attendenda ordinatio Dei, quae sic ordinat ut accessus noster ad Deum sit mediantibus sanctis, iisque non solum supremis, uti est beatissima Virgo, sed etiam inferioribus: quia his mediantibus efficacior est noster accessus ad ipsam beatam Virginem, et, hac mediante, ad Deum. Si enim angelus noster custos, aut alii patroni, nobiscum implorent Deiparam Virginem, et haec a nobis conjunctive exorata exoret Deum, felicius et citius obtinebimus id quod petimus.

ARTICULUS III

Utrum beata Virgo possit dici omnipotens in impetrando?

Respondetur: Deipara Virgo recte vocatur omnipotens in impetrando (1).

Probatur, primo, ex communi sensu sanctorum Patrum. S. ANSELMUS (*De Excell. Virg. cap. 12*) beatam Virginem alloquens dicit: « Sic te Deus exaltavit, ut omnia tibi possible esse donaverit. Tu velis, et nequaquam fieri non poterit. » Quod idem est ac dicere Deiparam adeo potentem esse per impetrationem, sicut est Deus per suam omnipotentiam. Idem tenet S. BONAVENTURA (*Specul. B. Virg. cap. 8*) dicens: « Dominus potentissimus tecum est, juxta illud, *Fecit mihi magna qui potens est* (Luc. I, 49); ideo et tu es potentissima secum. Potentissima es per ipsum, potentissima apud ipsum; ita ut vere dicere possis illud (Eccli. XXIV, 15): *In Jerusalem potestas mea*; nempe quidvis impetrandi quod volo. » Et S. PETRUS DAMIANUS (*Serm. de Nativ. B. Virg.*): « Fecit tibi magna qui potens est, et data est tibi omnis potestas in coelo et in terra; et nihil tibi impossibile est, cui possibile est desperatos in spem salutis revocare. »

Probatur, secundo, ratione: quia beata Virgo omne id meruit de congruo, quod Christus de condigno, uti supra dictum est (*part. 3, quaest. 1, art. 4*). Ergo, quia Christus Dominus propter hoc universale meritum habet potentiam omnia impetrandi immediate a suo Patre, habet etiam beata Virgo, propter suum universale meritum de congruo, potestatem omnia impetrandi per Christum. — Confirmatur ex

(1) Agitur hic non de omnipotentia physica, sed de omnipotentia morali, quae consistit in potestate a Deo impetrandi quidquid sub impetrationem cadit in praesenti divinae Providentiae ordine.

S. THOMA (*Opusc.* 8) : beata Virgo salutatur tamquam plena gratia, non solum quantum ad se, verum etiam quantum ad refusionem in omnes homines. Ergo, sicut nullum defectum habet gratiae in proprio subjecto, ita omnia potest relate ad omnes homines.

Objicitur : si beata Virgo esset omnipotens in impetrando, tunc omnes fierent salvi, quia habet pronissimam voluntatem procurandi salutem. Ergo, quia dici non potest quod omnes fiant salvi, neque dici poterit quod beata Virgo omnia possit apud Deum.

Ad quod respondetur omnipotentiam moralem beatæ Virginis consistere in facultate impetrandi omnia, salvo ordine hujus providentiæ in quo hominibus, sicut et angelis, pro via libertas relinquatur ad salutem consequendam. Omnia ergo potest beata Virgo, salva tamen libertate hominis, si ille sibi vult applicare auxilium Deiparæ Virginis, et eidem cooperari.

— Instantia est in Christo Domino, qui indubie habet omnipotentiam impetrandi omnia a Patre, nec ipsi deest sincera voluntas salvandi omnes. Non omnes tamen salvi fiunt, non ob defectum voluntatis et meritorum Christi, sed propter culpam eorum qui in numero reproborum computantur.

ARTICULUS IV

*An verum sit quod non detur aditus ad Deum,
nisi per Matrem ejus?*

Nota. — Certum est quod non detur aditus ad Deum nisi per Christum. Dicitur enim : « *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (ACT. IV, 12). » Quia igitur per beatam Virginem obtinuimus Christum, ideo in hoc sensu omnino certum est quod non detur aditus ad Deum nisi per

Mariam, in quantum hæc nobis peperit Christum. Verum alia etiam ratione agitur hæc quaestio : an nimirum nullus detur aditus per Christum ad Deum sine Deiparæ Virginis intercessione aut meritis. Ad quod

Respondetur : nullus omnino mortalium venit ad Deum sine Deiparæ Virginis intercessione aut meritis.

Probatur, primo, ex sanctis Patribus. Ita S. GERMANUS, patriarcha CP (*Serm. de Zona*), ait : « Nullus est qui salvus fiat nisi per te, o sanctissima ! Nullus est qui liberetur a malis nisi per te, o purissima ! Nemo est cui donum concedatur nisi per te, o castissima ! Nemo est cujus misereatur gratia nisi per te, o honestissima ! » Et S. BERNARDUS (*Serm. 1 de Annunt.*) : « Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur : quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam. » Et S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. 5*) : « Omnia Spiritus Sancti dona, quibus vult, quando vult, quomodo vult, et quantum vult, per manus hujus Virginis administrantur. » Idem confirmant alii ex sanctis Patribus (1).

Probatur, secundo, ratione : quia, in hoc ordine Providentiæ, Deo placuit amicos et fideles servos suos apud homines honorare, et glorificare per dispensationes suorum bonorum. Idcirco enim promittit (MATTH. XXIV, 45) quod servum fidelem super omnia bona sua constituere velit. Quia ergo inter omnes Dei amicos et servos nemo sit fidelior in ministrando Virgine Deipara, nemo etiam hoc honore dignior, ideo illi hæc dispensatio super omnia bona sic commissa fuit, ut nullus pateat aditus ad Deum sine Deipara. — Confirmatur : licet Deus de se sit paratus ad benefaciendum, tamen ex justissimis

(1) Cfr S. HIERONYMUS (*Serm. de Assumpt.*), S. METHODIUS (*Orat. in Hypap.*), S. DAMASCENUS (*Serm. 2 de Assumpt.*), S. CHRYSIPPUS (*Serm. de Deip.*)

causis non vult nobis bona sua communicare, nisi intercedentibus aliorum precibus et interventione, ut constat exemplo Abrahae (GEN. XX, 17) : « *Orante autem Abraham, sanavit Deus Achimelech, et uxorem ancillasque ejus;* » et (JOB, XLII, 6) : « *Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis.* » Quia ergo preces beatæ Virginis sunt potentissimæ, ideo in bonum nostrum id fecit Deus, ut aditum ad se constitueret, mediante Deipara, quatenus cum nos ex nobis non mereamur audiri, haberemus auxiliatricem per quam certo exaudiremur.

Objicitur : omnes antiqui patriarchæ et justi salvi facti sunt, quin beata Virginis intercessio præcedere potuerit. Multi etiam post Christi adventum in terram salutem consecuti sunt, quin opem Deiparæ imploraverint, vel de imploranda cogitaverint : uti infantes post baptismum citra usum rationis decedentes, sed inculpabiliter omittentes invocationem Deiparæ Virginis. Non enim hæc invocatio simpliciter necessaria est necessitate mediæ, aut divini præcepti ad salutem. Ergo datur accessus ad Deum sine Deipara Virgine.

Ad quod respondetur : Deiparam Virginem habere influxum in omnium electorum, angelorum et hominum, salutem : in eorum qui ipsam in tempore antecedunt, influxum causalitatis finalis ; in eorum vero qui subsequuntur, influxum causalitatis efficientis meritoria. Nec id requiritur ut invocetur, cum etiam non invocata succurrat : uti Christus Dominus non solum nobis subministrat beneficia et gratias pro quibus eum flagitamus, sed etiam illas dat quibus excitamur ad efflagitandum, imo et illas quas obstinati peccatores tamquam immeriti et quasi invito accipiunt. Manet tamen semper illis major influxus beneficiorum, qui devota invocatione se dignos reddunt. Caeterum, quod omnes gratiæ quæ de sursum veniunt, etiam relate ad tempora beatam Virginem antecedentia, per manus seu influxum ejus veniant, jam aliunde satis superque demonstratum

est (1). Et S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. de Nativ. B. Virg. cap. 2*) sequentibus confirmat : Ergo propter illam nobilem creaturam (scilicet Mariam) salvavit Deus parentes primos de eorum prima transgressione ; Noe de diluvio inundante ; Abraham de caede regis Chodorlahomor. » Et demum sic concludit : « Et ut brevi sermone omnia comprehendam, omnes liberationes et indulgentias factas in veteri Testamento non ambigo Deum fecisse propter hujus benedictæ puellæ reverentiam et amorem, quibus eam Deus in suam prædestinationem præhonorandam cunctis operibus suis, in ordine nempe naturæ et gratiæ, præordinavit. » Beata Virgo ergo influxum habet in omnia beneficia Dei mundo impertienda, non solum pro novo, sed veteri Testamento, saltem in tantum ut Deus omnia ex complacentia ejus fecerit.

ARTICULUS V.

An invocatio beatæ Virginis præjudicet Christo Mediatori ?

Respondetur : invocatio Deiparæ Virginis, prout in usu est inter fideles, nequam præjudicat Christo Domino. Est certa et catholica assertio.

Probatur, primo : quando solus Christus invocatur tamquam intercessor immediatus et principalis, beata Virgo verò tantum ut intercedrix mediata et secundaria, salva manet auctoritas Christi Domini, et non potest beatæ Virginis invocatio eidem esse præjudiciosa. Atqui a fidelibus et veræ Ecclesiæ filiis solus Christus invocatur tamquam intercessor immediatus et principalis, beata Virgo autem tamquam intercedens mediata et secundaria, ac dependens a Christo. Ergo invocatio beatæ Virginis non est præjudiciosa Christo. — Minor pro-

(1) Cfr *part. 3, quæst. 1, art. 4 et 5.*

causis non vult nobis bona sua communicare, nisi intercedentibus aliorum precibus et interventione, ut constat exemplo Abrahae (GEN. XX, 17) : « *Orante autem Abraham, sanavit Deus Achimelech, et uxorem ancillasque ejus;* » et (JOB, XLII, 6) : « *Dominus quoque conversus est ad poenitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis.* » Quia ergo preces beatæ Virginis sunt potentissimæ, ideo in bonum nostrum id fecit Deus, ut aditum ad se constitueret, mediante Deipara, quatenus cum nos ex nobis non mereamur audiri, haberemus auxiliatricem per quam certo exaudiremur.

Objicitur : omnes antiqui patriarchæ et justi salvi facti sunt, quin beata Virginis intercessio præcedere potuerit. Multi etiam post Christi adventum in terram salutem consecuti sunt, quin opem Deiparæ imploraverint, vel de imploranda cogitaverint : uti infantes post baptismum citra usum rationis decedentes, sed inculpabiliter omittentes invocationem Deiparæ Virginis. Non enim hæc invocatio simpliciter necessaria est necessitate mediæ, aut divini præcepti ad salutem. Ergo datur accessus ad Deum sine Deipara Virgine.

Ad quod respondetur : Deiparam Virginem habere influxum in omnium electorum, angelorum et hominum, salutem : in eorum qui ipsam in tempore antecedunt, influxum causalitatis finalis ; in eorum vero qui subsequuntur, influxum causalitatis efficientis meritoriae. Nec id requiritur ut invocetur, cum etiam non invocata succurrat : uti Christus Dominus non solum nobis subministrat beneficia et gratias pro quibus eum flagitamus, sed etiam illas dat quibus excitamur ad efflagitandum, imo et illas quas obstinati peccatores tamquam immeriti et quasi invito accipiunt. Manet tamen semper illis major influxus beneficiorum, qui devota invocatione se dignos reddunt. Caeterum, quod omnes gratiæ quæ de sursum veniunt, etiam relate ad tempora beatam Virginem antecedentia, per manus seu influxum ejus veniant, jam aliunde satis superque demonstratum

est (1). Et S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. de Nativ. B. Virg. cap. 2*) sequentibus confirmat : Ergo propter illam nobilem creaturam (scilicet Mariam) salvavit Deus parentes primos de eorum prima transgressione ; Noe de diluvio inundante ; Abraham de caede regis Chodorlahomor. » Et demum sic concludit : « Et ut brevi sermone omnia comprehendam, omnes liberationes et indulgentias factas in veteri Testamento non ambigo Deum fecisse propter hujus benedictæ puellæ reverentiam et amorem, quibus eam Deus in suam prædestinationem præhonorandam cunctis operibus suis, in ordine nempe naturæ et gratiæ, præordinavit. » Beata Virgo ergo influxum habet in omnia beneficia Dei mundo impertienda, non solum pro novo, sed veteri Testamento, saltem in tantum ut Deus omnia ex complacentia ejus fecerit.

ARTICULUS V.

An invocatio beatæ Virginis præjudicet Christo Mediatori ?

Respondetur : invocatio Deiparæ Virginis, prout in usu est inter fideles, nequiquam præjudicat Christo Domino. Est certa et catholica assertio.

Probatur, primo : quando solus Christus invocatur tamquam intercessor immediatus et principalis, beata Virgo verò tantum ut intercedrix mediata et secundaria, salva manet auctoritas Christi Domini, et non potest beatæ Virginis invocatio eidem esse præjudiciosa. Atqui a fidelibus et veræ Ecclesiæ filiis solus Christus invocatur tamquam intercessor immediatus et principalis, beata Virgo autem tamquam intercedens mediata et secundaria, ac dependens a Christo. Ergo invocatio beatæ Virginis non est præjudiciosa Christo. — Minor pro-

(1) Cfr *part. 3, quæst. 1, art. 4 et 5.*

batur ex CONCILIO TRIDENTINO (sess. 15), in decreto de Invocatione Sanctorum, ubi Patres concilii fidelium sensum his verbis declarant : « Bonum atque utile esse suppliciter sanctos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo, per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. » Ubi notanter Patres aiunt : « *ob beneficia per Christum impetranda.* » Unde Virgo Deipara cum aliis sanctis tantum est intercedens mediate, per Christum scilicet; quae causa est quod Ecclesia omnes orationes suas claudat hoc modo : *Per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Probatur, secundo : tunc Christo inferretur injuria, si id quod est proprium et peculiare Christo tribueretur aliis; vel si talis intercessio tribueretur Deiparae Virgini, quae independens esset a Christo, et illo neglecto fieret. Sed talis intercessio non tribuitur beatae Virgini a fidelibus, cum expresse fiat per Christum, et tantum imploretur beatae Virgini auxilium ut hoc praestet per Christum, et Deum pro nobis oret per Christum : ergo sine omni injuria Christi beata Virgo imploratur.

Probatur, tertio, ex sanctis Patribus. Ex quibus S. BASILIUS (*Epist. ad Julian.*), cujus verba recitantur in Concilio Nicaeno secundo, dicit : « Sanctam Mariam, quae secundum carnem Christum peperit, suscipio, et sanctos apostolos, prophetas et martyres, qui pro me ad Deum supplicant, ut per illorum mediationem propitius sit mihi Deus. » Quare Concilium hoc generale intercessionem sanctorum admisit, et licitam atque Christo Domino non praejudiciosam agnovit, et sancti Patres semper statuerunt. Et S. EPHREM (*Serm. de sancta Dei Genitrice*) : « Adsis mihi, Virgo misericors, et materna liberalitate Filium tuum exora. » Iterum S. BERNARDUS (*Deprec. ad B. Virg.*) : « Loquere, quia audit glo-

riosus Filius tuus; et quaecumque petieris, impetrabis. » Ergo, ex sensu Patrum, intercessio beatae Virgini non est praejudiciosa vel injuriosa Christo Filio.

ARTICULUS VI

An in beatae Virginis honorem recte ecclesiae exstruantur, fiantque peregrinationes ad imagines ejus insignes ?

Ad primum respondetur : ecclesiae recte exstruantur in honorem beatae Virginis.

Probatur, primo, ex conciliis in quibus definitum fuit quod, ex antiquo Ecclesiae usu, recte basilicae exstruantur sanctis martyribus, et per consequens etiam Reginae martyrum. CONCILIUM NICAENUM secundum (*act. 6*) sic habet : « A temporibus Constantini Magni christianorum coetus templa exstruxerunt, partim Christi nominis gratia, partim sanctorum martyrum causa. » Confirmatur ex consuetudine Ecclesiae circa basilicas beatae Virginis. Sic PROCOPIUS (*Orat. 1*) ait : « Dei Genitrici passim per romanum imperium multas aedes Justinianus consecravit. » Et S. SOPHONIUS (*Orat. 4 in Natal. Christi*) : « Quare intra civitatis hujus portas conclusi, necnon in divino hoc Dei Genitricis templo constituti, festum hunc diem celebramus. » Item S. GERMANUS CP inquit : « Si Maria appellata est civitas animata Regis Christi, merito illius quoque templum sanctissimum, cujus dedicationem hodie celebramus, et est, et nominatur civitas gloriosa. » Et ita alii Patres.

Objicitur : templa tantum aedificantur Deo, juxta S. AUGUSTINUM (*Contra Maxim. lib. 1*) : « Nonne si alicui sancto angelo excellentissimo de lignis et lapidibus faceremus templum, anathematizaremur a veritate Christi et ab Ecclesia

Dei, quoniam exhiberemus creaturae eam servitutem quae uni tantum debetur Deo? » Ergo non possunt erigi ecclesiae in honorem beatae Virginis.

Ad quod respondetur : reapse templum, sub ratione templi, ordinatur ad peragendum sacrificium quod soli Deo offertur; et ideo fatendum est quod templum, sub ratione templi, non erigatur *immediate* in honorem beatae Virginis, sed Dei ipsius. Quia tamen erigi potest ob alios fines, uti ad colendam Deiparam Virginem, ad asservandas ejus reliquias, seu sub ratione basilicae, ideo nihil obest quin etiam in ejus honorem ac memoriam exstruatur templum : sicut templum Salomonis erectum fuit, non solum ad sacrificium Deo offerendum, sed etiam ad asservendam honorifice arcam, quae fuit figura beatae Virginis. — Caeterum, ipse S. AUGUSTINUS (*De Civit. Dei, lib. 8, cap. 27*) distinguit inter templa et basilicas, seu *memorias* sanctorum, dicens : « Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus; honoramus bene memorias eorum tamquam sanctorum hominum Dei. »

Ad secundum respondetur : omnino recte fiunt peregrinationes ad statuas et imagines Deiparae Virginis insignes.

Probat, primo, ex sacris Litteris, in quibus expresse praecipitur ut, statuto tempore et loco, Deus adoretur : non quod non in omni loco adorari possit, sed quod certa loca elegerit in quibus liberalius et benignius nos exaudire velit. Hinc dicitur (DEUT. XVI, 5-16) : « *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, sed in loco quem elegerit Dominus ut habitet nomen ejus ibi.* Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit (1). »

(1) Nempe in solemnitate Azymorum, in solemnitate Hebdomadarum, et solemnitate Tabernaculorum (DEUT. *ibid.*).

Quod praeceptum observavit Christus ipse cum beata Virgine et sancto Joseph, ut habetur (LUC. II, 42). Si ergo in Lege veteri peregrinationes religiosas recte fiebant, et quidem ex praecepto divino, ad templum hierosolymitanum, cur non pariter in Lege gratiae recte fiant ad certa loca quae Deus se specialiter elegisse ostendit signis et miraculis, uti sunt loca thaumaturga? — Confirmatur ex CONCILIO TRIDENTINO (*sess. 24*), ubi religio et sanctitas peregrinationum ad sacras imagines commendatur.

Probat, secundo, ex quotidiana experientia, quae evidenter ostendit Deum, arcano quodam consilio, in sacris locis operari, et magis propitium esse in uno loco quam in alio, ad thaumaturgas imagines et statuas praesertim Deiparae Virginis quam alibi : quia sic ipsi placet Matrem suam in uno loco potius quam in alio magnificare, et per majora et frequentiora beneficia glorificare. Et quemadmodum Deus locum, ubi principaliter coleretur, constituit ad tabernaculum foederis, et arcam Moysis in Silo, et deinde in templo hierosolymitano, ubi pariter arca foederis asservabatur, et ubi Salomoni promissionem fecit fore ut qui templum suum reverenter adiret ibique devote oraret, ad peccatorum remissionem et aliorum beneficiorum consecutionem exaudiretur : ita et hodie, in locis ubi colitur viva arca foederis Maria, Deus clementior est et ad conferenda beneficia pronior. Id quod continua beneficia et miracula demonstrant. Innumera enim et stupenda sunt haec miracula, ab ipsis etiam sanctis Patribus et scriptoribus omni fide dignis relata : quae omnia inconsulto rejicere ac negare non nisi insani hominis est.



QUAESTIO QUINTA

DE BENEFICENTIA BEATAE VIRGINIS ERGA HOMINES

ARTICULUS I

*Utrum beata Virgo sit benefica erga omnes
homines aequaliter?*

Respondetur 1^o : beata Virgo est benefica erga omnes homines universim sumptos.

Probatur, primo, ex ratione : quemadmodum Deus habet summam beneficentiam erga creaturas, specialiter erga rationales, quales sunt homines, adeo ut ipsa ejus natura dicatur esse bonitas : ita etiam beatissima Virgo, ad imitationem Dei, beneficentissima est post Deum erga nos, utpote quae tanta nobis beneficia praestitit, ut sit post Christum summa benefactrix. Nullum enim majus beneficium est quam salus et redemptio nostra. Ipsa autem consensu suo de coelo attulit et peperit Christum, qui vera salus et redemptio nostra est. Adeoque nemo hominum est, qui non in specie et singularis debitor sit beatae Virginis, cum saltem redemptionem suam ab Adae peccato ipsi debeat. Et sic de beata Virgine dici potest : « *Nec est qui se abscondat a calore ejus* (PSALM. XVIII, 7). »

Probatur, secundo, ex S. BERNARDO (*In Apoc.*) dicente, post alios Patres : « *Maria omnibus omnia facta est ; sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debtricem se fecit ; omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus*

accipiant universi. » Et alibi (*Serm. de Nativ. B. Virg.*) : « Totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur : quia haec est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. »

Respondetur 2^o : causa majoris beneficentiae in beata Virgine erga nos est, post Deum, nostra erga beatam Virginem devotio major.

Probatur primo : sicuti Deus omnes vult salvos fieri, et eatenus erga omnes est beneficus, quod pro omnibus praeparaverit media ad salutem sufficientia : ita etiam beata Virgo erga omnes in tantum est benefica, quod haec media omnibus mereatur merito nempe de congruo, sicut Christus eadem meretur merito de condigno. Quia vero Deus ex altissimis consiliis erga quosdam magis est beneficus quam erga alios, cura quibusdam media efficacia praeparet ad salutem, non item aliis : ita etiam beata Virgo, tamquam perfectissime conformis voluntati divinae, illis est magis in effectu benefica quos Deus elegit, quia his media efficacia ad salutem meretur, et ad hanc cum efficacia cooperatur. Ergo causa primaria majoris beneficentiae beatae Virginis erga nos est imprimis Deus. Quia tamen Deus, juxta commune dictum, nos quidem creat sine nobis, non tamen salvare vult sine nobis, ideo salus nostra in executione dependet a nostra cooperatione ; et ideo regulariter causa majoris beneficentiae in beata Virgine erga nos est, post Deum, nostra major erga beatam Virginem devotio : quatenus haec Deum et Virginem movet ad conferenda media efficacia ad salutem.

Probatur, secundo : causa majoris beneficentiae refunditur ; post Deum, in majorem devotionem erga beatam Virginem, quia major devotio speciali titulo sibi Virginem obstringit ; et non tantum illud commune verificat, *Sic tu nos visitas, sicut te colimus*, sed etiam ipsam titulo filiationis specialis obligat, ut qua Mater fidelis vices reddat. — Confirmatur :

magis devoti sunt erga beatam Virginem quibus ipsa Mater est, non solum lege Christi (*Ecce mater tua. JOAN. XIX, 26*), quae generalis est, sed etiam propria electione et devotione, qua ipsa in Matrem eligitur a nobis, et suscipitur. Ergo sibi magis devotis magis est benefica, quia his titulo conjunctionis magis obstringitur.

ARTICULUS II

Utrum beata Virgo sit benefica etiam erga peccatores ?

Respondetur : beatissima Virgo est vere benefica etiam erga peccatores. Ita Ecclesia catholica, quae idcirco beatam Virginem compellat *Refugium peccatorum* (LITAN. LAURET.).

Probatur, primo, ex sanctis Patribus, qui eam passim hoc eodem titulo honorant. Sic S. GERMANUS (*Orat. de Zona Deip.*) beatam Virginem nominat : « Refugium peccatorum paratissimum. » Et S. DAMASCENUS (*De Trinit.*) : « Refugium eorum qui lapsi sunt. » Et idem (*In Cant.*) : « Refugium peccatorum maximum. » Et S. ANTONIUS DE PADUA (*Serm. in Dom. 3 Quadrage.*) : « Refugium misericordiae peccatoribus a Deo provisum. » S. AUGUSTINUS (*Serm. 8 de Sanct.*) sic Mariam alloquitur : « Tu es spes unica peccatorum ; per te speramus veniam delictorum ; in te nostrorum est expectatio praemiorum. » S. BERNARDUS (*Serm. de Aquaed.*) tandem dicit : « Filioli, haec peccatorum scala ; haec mea maxima fiducia est ; haec tota ratio spei meae. » Et alibi (*Homil. 2 sup. Missus est*) : « Si barathro incipiaris absorberi tristitiae, desperationis abysson, cogita Mariam. In periculis, in angustiis, Mariam invoca. Et sic in temetipso experieris quam merito dictum sit : *Et nomen Virginis Maria.* » Vox enim *Maria* idem sonat ac *Spes*.

Probatur, secundo : beata Virgo, dum adhuc in hac terra

degebat, jam erat peccatorum refugium. Hoc enim refert S. Petrus Damianus (apud SALMERON, tom. 10, tract. 40) : « Bonus latro resipuit quia beatissima Virgo, inter crucem Filii et crucem latronis posita, pro latrone deprecabatur. » Cujus bonitas etiam patuit in Cana Galilaeae, ubi pro indigentibus exoravit Christum ut aquam in vinum verteret. Ergo, si benefica et misericors jam erat in vita mortali, longe beneficentior erit nunc regnans in coelis. Quod S. BONAVENTURA (*Specul. B. Virg. cap. 8*) colligit dicens : « Magna fuit misericordia Mariae adhuc exulantis in mundo ; sed multo major erga miseros est misericordia ejus jam regnantis in coelo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc videt innumerabilem hominum miseriam. » Quapropter beata Virgo recte nominatur peccatorum Advocata, quia ad eorum defensionem simul astat coram Judice, et causam salutis coram Filio agit ; prout insinuat S. BERNARDUS (*Serm. 2 de Pent.*) : « Mater stat ante Filium, Filius ante Patrem ; Mater ostendit Filio pectus et ubera, Filius ostendit Patri latus et vulnera. » Et ideo Ecclesia catholica exclamat : *Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte!* Ergo vere benefica est Deipara Virgo erga peccatores.

Probatur, tertio, ex verbis ipsiusmet beatae Virginis S. BRIGITAE (*Revel. lib. 2, cap. 23*) dicentis : « Quantumcumque homo peccat, si ex vera emendatione ad me reversus fuerit, statim parata sum recipere revertentem ; nec attendo quantum peccaverit, sed cum quali voluntate venit ; nam non dedignor ungere et sanare plagas ejus : vocor Mater misericordiae. » Unde S. GREGORIUS VII (*Epist. ad Mathild.*) ait : « Pone finem in voluntate peccandi, et invenies Mariam, indubitanter promitto, promptiorem carnali matre in tui dilectione. »

ARTICULUS III

Utrum beata Virgo sit benefica suis clientibus in judicio divino?

Respondetur : Deipara Virgo nos vere defendit in judicio divino. Ita communis sensus Ecclesiae et Patrum.

Probatur : nam Ecclesia eam idcirco salutatur his verbis : *Eia ergo, Advocata nostra.* Talis enim praecipue est coram divino judicio. Talem etiam sancti Patres recognoscunt. Inter quos S. EPHREM (*Deprec. ad B. Virg.*) ait : « Adsis mihi semper, Virgo misericors, clemens et benigna, in praesenti quidem vita fervens protectrix et fida auxiliatrix ; in terribili autem die judicii ab aeterna damnatione me liberans. » Et S. GERMANUS CP (*Serm. de Zona*) : « Quaeso te ut in adventu Filii, cum assistemus omnes judicandi, tu, magnam habens potestatem, valida manu tua ab aeterno igne nos eripias. » Eodem modo loquitur S. BONAVENTURA (*Exposit. super Salve*) : « O Maria, Advocata nostra in judicio animae nostrae ! » Ergo Deipara Virgo, in sensu Ecclesiae et Patrum, vere nos defendit in divino judicio.

Objicitur : non potest explicari quomodo beata Virgo possit advocatam agere coram divino Judice, cum iudicium illud sit ferendum immutabiliter juxta vitam peractam. Ergo Deipara Virgo nequit dici Patrona et singulariter benevola suis clientibus coram divino judicio.

Ad quod respondetur : patrocinium beatae Virginis pro divino judicio hoc modo, inter alios, salvari potest : quod nos defendat in porta iudicii, seu in articulo mortis. Unde RICHARDUS A S. VICTORE (*Serm. de Deip.*) ait : « Mariam Matrem misericordiae quaeramus, et speremus in porta iudicii misericordiam. » Nam etiam in humanis advocatus, qui clientem suum ita instruit ut in proxime sequenti judicio condemnari

nequeat, censetur in tali iudicio patrociniatus fuisse : ita et beata Virgo, quia in hora mortis nobis procurare potest efficacia auxilia gratiae ad seriam poenitentiam, ut ante tribunal Christi proxime sequens securi simus. Ideo recte iudicabitur nobis patrocinari per hoc coram divino iudicio.

ARTICULUS IV

*Utrum beata Virgo sit benefica clientibus
in Purgatorio detentis ?*

Respondetur : Deipara Virgo est summe benefica erga animas in Purgatorio detentas. Ita communis sensus fidelium.

Probatur, primo, auctoritate ipsius Christi Domini, ita ad Matrem suam loquentis (Apud S. BIRGITAM, *Revel. lib. 1, cap. 16*) : « Tu es Mater mea, Mater misericordiae. Tu consolatio eorum qui sunt in Purgatorio. Omnes poenae quae debentur purgandis pro peccatis suis in qualibet hora, propter preces tuas quodam modo mitigantur (1). » Unde S. VINCENTIUS FERRERIUS (*Serm. 2 de Nativ. B. Virg.*) ait : « Maria bona existentibus in Purgatorio, quia per eam habent suffragium. » Et S. BERNARDINUS SENENSIS (*Serm. 3 de glor. Nom. Mariae*) : « Beata Virgo in regno Purgatorii dominium tenet. »

Consonat V. BLOSIUS (*Monil. spirit.*) intrepide affirmans « quaslibet flammis Purgatorii Mariae precibus mitigari, leviores, lenioresque reddi. »

Probatur, secundo, variis rationibus. Quarum prima est quod, instar alterius matris, beata Virgo commiserationem habeat cum filiis dura patientibus. Unde, dum audit clamantes,

(1) *Revelationes S. BIRGITAE*, uti supra dictum est (*part. 1. quaest. 1, art. 5*) fuerunt approbatae ab Ecclesia. Verba GREGORII XII approbantis ita sonant : « Totum quod in eis continetur, et veritate conspicuum et sanctitate plenum est. »

« *Miseremini mei, saltem vos amici mei* (JOB, XIX, 21), » non potest non illarum miseriis tangi. — Secunda est, quia attenta est ad monitum Christi : « *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (MATTH. XXV, 40). » Quia ergo id scit, et videt placere Christo, vel solius etiam Christi intuitu faceret. — Tertia est, quia sicut Job de se ipso affirmat, « *Ab infantia crevit in me miseratio, et in utero concepta est mecum,* » ita beata Virgo, a primo conceptionis momento, incepit misereri et orare pro afflictis, et hucusque non destitit ; et ideo misericordia haec in ipsa usque ad finem vitae mortalis summum incrementum sumpsit, et in hoc persistit quamdiu Purgatorium durabit. — Quarta est, quia liberatio animarum cedit in gloriam Dei, cujus ipsa est studiosissima. Liberatae enim Deum magis cognoscunt et intensius amant. Et sic minime dubitandum est quin Virgo Deipara sit addictissima animabus in Purgatorio. — Quinta est, innumera exempla quae, tum in historiis ecclesiasticis, tum in vitis sanctorum, narrantur.

Probatur, tertio, ex testimonio Ecclesiae, quae in BREVIARIO (*Ad 16 Jul. lect. 6*) quod ministris suis legendum praescribit, haec habet : « Non in hoc tantum saeculo Ordinem (Montis Carmeli) sibi tam acceptum multis praerogativis beatissima Virgo insignivit : verum et in alio, cum ubique et potentia et misericordia plurimum valeat, filios in Scapularis societatem relatos materno plane affectu, dum igne Purgatorii expiantur, solari, ac in coelestem patriam obtentu suo quantocius pie creditur efferre. » Manifestum est ergo quod Deipara Virgo sit erga defunctos, praesertim clientes suos, benefica.

Objicitur : beata Virgo neque est amplius in statu meriti, neque in statu satisfactionis : ergo non videtur posse ostendi modus quo juvare possit animas in Purgatorio. Status enim animarum Purgatorii iustitiae est, non gratiae : in quo proinde

poena justitiae divinae debita solvenda est, non gratis condonanda.

Ad quod respondetur : modos juvandi animas in Purgatorio neutiquam deesse Virgini Deiparae. Nam, 1° potest intercessionibus in coelo obtinere a Deo ut degentibus in hac vita offerat efficacia auxilia, excitantia illos ad opera satisfactoria pro animabus praestanda; 2° potest exorare applicationem suffragiorum quae inutilia sunt iis pro quibus destinantur : uti si missae legantur pro talibus, quibus prodesse sperantur, reapse vero sunt damnati. 3° potest applicare aequivalentem satisfactionem, et solutionem ex suis satisfactionibus in vita sua superfluis. Quia enim beata Virgo nunquam peccavit, et inde nihil habuit poenae propriae solvendae, immensum thesaurum satisfactorium reliquit, de quo nunc depromere potest. 4° Potest impetrare a Christo ut hic ex meritis suis aequivalentem satisfactionem offerat. Quamvis enim Christus claves thesauri hujus tradiderit summo Pontifici, non tamen abstulit sibi potestatem deferendi etiam precibus Matris suae, cum merita sint infinita. Adeoque varii et effleaces modi sunt, quibus beata Virgo succurrere potest animabus in Purgatorio.

TEXTUS MARIANI

E SANCTIS PATRIBUS SELECTI

AD FIDUCIAM ERGA DEIPARAM VIRGINEM EXCITANDAM

O beata fiducia, o beatum refugium ! Mater Dei est Mater nostra. Qua igitur certitudine debemus sperare, quorum salus de boni Fratris et pia Matris pendet arbitrio ? (S. ANSELMUS, *Orat.* 51).

Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas ? Nihil austerum in ea, nihil terribile : tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam (S. BERNARDUS, *In Sign. Magn.*).

Maria, plena unctione misericordiae, plena oleo pietatis (S. BONAVENTURA, *Specul. B. Virg.*).

Nulla post eam creatura ita per amorem nostrum exardescet, quae Filium suum unicum, quem multo plus se amavit, nobis dedit et pro nobis obtulit (S. BONAVENTURA, *Serm. 1 de B. Virg.*).

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca ; non recedat ab ore, non recedat a corde : ipsa protegente, non metuis (S. BERNARDUS, *Serm. 3 de B. Virg.*).

Nobis non est alia quam in te fiducia, o Virgo sincerissima ! (S. EPHREM, *Serm. 3 de Nativ. B. Virg.*).

Nescimus aliud refugium, nisi te, o Maria. Tu es unica spes nostra, in qua confidimus (S. THOMAS A VILLANOVA, *Rev. ext. cap.* 50).

Si non vis obrui procellis, respice stellam, voca Mariam (S. BERNARDUS, *Serm. 3 de Nativ. B. Virg.*).

poena justitiae divinae debita solvenda est, non gratis condonanda.

Ad quod respondetur : modos juvandi animas in Purgatorio neutiquam deesse Virgini Deiparae. Nam, 1° potest intercessionibus in coelo obtinere a Deo ut degentibus in hac vita offerat efficacia auxilia, excitantia illos ad opera satisfactoria pro animabus praestanda; 2° potest exorare applicationem suffragiorum quae inutilia sunt iis pro quibus destinantur : uti si missae legantur pro talibus, quibus prodesse sperantur, reapse vero sunt damnati. 3° potest applicare aequivalentem satisfactionem, et solutionem ex suis satisfactionibus in vita sua superfluis. Quia enim beata Virgo nunquam peccavit, et inde nihil habuit poenae propriae solvendae, immensum thesaurum satisfactorium reliquit, de quo nunc depromere potest. 4° Potest impetrare a Christo ut hic ex meritis suis aequivalentem satisfactionem offerat. Quamvis enim Christus claves thesauri hujus tradiderit summo Pontifici, non tamen abstulit sibi potestatem deferendi etiam precibus Matris suae, cum merita sint infinita. Adeoque varii et effleaces modi sunt, quibus beata Virgo succurrere potest animabus in Purgatorio.

TEXTUS MARIANI

E SANCTIS PATRIBUS SELECTI

AD FIDUCIAM ERGA DEIPARAM VIRGINEM EXCITANDAM

O beata fiducia, o beatum refugium ! Mater Dei est Mater nostra. Qua igitur certitudine debemus sperare, quorum salus de boni Fratris et piaae Matris pendet arbitrio ? (S. ANSELMUS, *Orat.* 51).

Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas ? Nihil austerum in ea, nihil terribile : tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam (S. BERNARDUS, *In Sign. Magn.*).

Maria, plena unctione misericordiae, plena oleo pietatis (S. BONAVENTURA, *Specul. B. Virg.*).

Nulla post eam creatura ita per amorem nostrum exardescet, quae Filium suum unicum, quem multo plus se amavit, nobis dedit et pro nobis obtulit (S. BONAVENTURA, *Serm. 1 de B. Virg.*).

In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca ; non recedat ab ore, non recedat a corde : ipsa protegente, non metuis (S. BERNARDUS, *Serm. 3 de B. Virg.*).

Nobis non est alia quam in te fiducia, o Virgo sincerissima ! (S. EPHREM, *Serm. 3 de Nativ. B. Virg.*).

Nescimus aliud refugium, nisi te, o Maria. Tu es unica spes nostra, in qua confidimus (S. THOMAS A VILLANOVA, *Rev. ext. cap.* 50).

Si non vis obrui procellis, respice stellam, voca Mariam (S. BERNARDUS, *Serm. 3 de Nativ. B. Virg.*).

Quis non sperabit in te, quae etiam adjuvas desperatos?
(S. BERNARDUS, *Medit. sup. Salve*).

Tu es spes unica peccatorum, quia per te speramus veniam omnium delictorum (S. AUGUSTINUS, *Serm.* 194).

O Maria! tu Mater rei, tu Mater Judicis! Cum Mater sis utriusque, discordiam inter filios tuos nequis sustinere (S. BONAVENTURA, *Specul. B. Virg.*).

Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est; haec tota ratio spei meae (S. BERNARDUS, *De Aquaed.*).

Si ipsa propter peccatores facta est Domini Mater, quomodo immanitas peccatorum meorum cogere me poterit desperare veniam? (S. ANSELMUS, *De Excell. B. Virg.*).

Maria, fidelissima Mediatrix nostrae salutis (S. BONAVENTURA, *Specul. B. Virg.*).

Intuemini quanto devotionis affectu a nobis eam Deus voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare (S. BERNARDUS, *De Aquaed.*).

Per eam exivit de coelis quidquid gratiae venit in mundum (S. ANTONINUS, *Summ.*).

Omnia dona, virtutes et gratiae, quibus vult, quando vult, et quomodo vult, per ipsius manus dispensantur (S. BERNARDUS SENENSIS, *Serm. 5 de B. Virg.*).

Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus non transiret (S. BERNARDUS, *Serm. 3 in Vigil. Nativ. Dom.*).

Frustra quaerit, qui cum Maria invenire non quaerit (S. BONAVENTURA, *Specul. B. Virg.*).

Nemo est qui salvus fiat, nisi per te, Dei Parens (S. GERMANUS, *Serm. de Dormit. B. Virg.*).

Grande privilegium Mariae, quod apud Deum potentissima est (S. BONAVENTURA, *Specul. B. Virg.*).

Imperio Virginis omnia famulantur, etiam Deus (S. BERNARDUS SENENSIS, *Serm. 5 de B. Virg.*).

Te, Domina, Deus sic exaltavit, et omnia tibi secum possibilita esse donavit (S. ANSELMUS, *De Excell. B. Virg.*).

Potentissima et piissima charitas Matris Dei: et affectu compatiendi, et subveniendi abundat effectu; aequae locuples in utroque (S. BERNARDUS, *Serm. 4 in Assumpt.*).

Filius, quasi solvens debitum, petitiones tuas implet, o Maria (S. GEORGIUS NICOMEDIENSIS, *De Assumpt. B. Virg.*).

O mirabilis erga nos misericordia Dei nostri, qui, ne fugeremus pro sententia, voluit Matrem suam ac Dominam gratiae nostram instituere Advocatam (S. BONAVENTURA, *Stimul. divin. Amor.*).


Impossibile est Deiparam non exaudiri (S. ANTONINUS, *Summ.*).

Nunquam peribit qui Genitrici Virgini devotus sedulusque extiterit (S. IGNATIUS MARTYR, *Prov.*).

Nomen Mariae est reseratorium portae coeli (S. EPIREM, *De Laud. B. Virg.*).

Invocato nomine Mariae, etsi merita invocantis non merentur, merita tamen Matris intercedunt ut exaudiatur (S. ANSELMUS, *De Excell. B. Virg.*).

Totis ergo medullis cordium Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam (S. BERNARDUS, *De Aquaed.*).



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX RERUM

QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

PARS PRIMA

DE BEATA VIRGINE

PRO STATU CHRISTUM ANTECEDENTE

QUAESTIO PRIMA

PROOEMIALIS THEOLOGIAE MARIANAE

ARTICULUS I. — Utrum Theologia Mariana sit Ecclesiae utilis ac necessaria?	3
ARTICULUS II. — Utrum Theologia Mariana sit argumentativa ex loco verbi scripti?	5
ARTICULUS III. — An quisvis sensus Scripturae sacrae praebet argumentum theologicum?	7
ARTICULUS IV. — An Theologia Mariana sit argumentativa ex verbo Dei tradito?	9
ARTICULUS V. — An et qualem fidem, vel argumentum ad probandum, faciant revelationes privatae circa beatam Virginem?	10

QUAESTIO SECUNDA

DE PRAEDESTINATIONE BEATAE VIRGINIS

ARTICULUS I. — Utrum beatae Virgini recte tribuatur Praedestinatio?	13
ARTICULUS II. — Utrum beata Virgo sit praedestinata ante omnem creaturam?	15
ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo appareat statim in primo signo decreti intentivi qua Mater Redemptoris?	17

ARTICULUS IV. — Utrum Praedestinatio primitus intentiva beatae Virginis, tum ad maternitatem Dei, tum ad gloriam, sit pure gratuita et independens a meritis? 20

QUAESTIO TERTIA

DE NOBILISSIMA PARENTELA GLORIOSAE DEIPARENTIS

ARTICULUS I. — Quinam fuerunt parentes proximi beatae Virginis? 23

ARTICULUS II. — Utrum determinate dicendum sit quod beata Virgo descendat ex Juda et David per lineam paternam Joachim? 25

ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo, quoad lineam paternam, descendat ex Davide per Salomonem? 26

ARTICULUS IV. — Quae sit integra arbor genealogica beatae Virginis? 32

QUAESTIO QUARTA

DE CONCEPTIONE DEIPARAE QUOAD CORPUS

ARTICULUS I. — Utrum beata Virgo contraxerit peccatum originale quoad corpus? 37

ARTICULUS II. — Utrum Deipara acceperit corpus in sua constitutione perfectissimum, ac omnibus numeris absolutum? 39

ARTICULUS III. — Utrum Virgo Deipara acceperit corpus exemptum a morbis corporalibus? 40

ARTICULUS IV. — Utrum Virgo Maria fuerit omnino impassibilis ac immortalis? 42

QUAESTIO QUINTA

DE CONCEPTIONE DEIPARENTIS QUOAD ANIMAM

ARTICULUS I. — Utrum beata Virgo potuerit a Deo praeservari a peccato originali quoad animam? 45

ARTICULUS II. — Utrum Deus, ex quo decrevit esse Filius Virginis, habuerit quasi debitum ad praeservandam Matrem suam a peccato originali? 47

ARTICULUS III. — Utrum Conceptio Immaculata sit vere in sacris Litteris contenta? 49

ARTICULUS IV. — Utrum sit de fide beatam Virginem esse sine labe originali conceptam? 52

QUAESTIO SEXTA

DE PLENITUDINE GRATIAE ET VIRTUTUM PRO PRIMO CONCEPTIONIS INSTANTI

ARTICULUS I. — Utrum beata Virgo fuerit gratia plena, et habuerit, pro primo conceptionis instanti, plenitudinem gratiae jam consummatam? 55

ARTICULUS II. — Utrum beata Virgo habuerit usum rationis a primo conceptionis instanti, et retinuerit? 58

ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo habuerit fidem, eamque perfectam, statim a primo conceptionis instanti? 61

ARTICULUS IV. — Utrum beata Virgo, cum prima sanctificatione, habuerit omnes habitus virtutum scientiasque infusas? 62

ARTICULUS V. — Utrum beata Virgo, per primam sanctificationem, donum perseverantiae et confirmationem in gratia acceperit, ita ut nunquam in vita venialiter peccaverit? 64

PARS SECUNDA

DE BEATA VIRGINE

PRO STATU CHRISTUM CONCOMITANTE

QUAESTIO PRIMA

DE VIRGINITATE GLORIOSISSIMAE DEIPARENTIS

ARTICULUS I. — An Maria Virgo semper fuerit virgo? 69

ARTICULUS II. — Utrum beata Virgo habuerit semper votum virginitatis, illudque voto firmaverit? 72

ARTICULUS III. — Utrum, stante voto, potuerit beata Virgo matrimonium contrahere cum sancto Joseph? 74

ARTICULUS IV. — An teneantur fideles explicite credere virginitatem perpetuam beatae Virginis? 76

QUAESTIO SECUNDA

DE ANNUNTIATIONE ANGELI ET DE INCARNATIONE VERBI

ARTICULUS I. — Utrum conceptus virgineus debuerit prius beatæ Virgini annuntiari? 79

ARTICULUS II. — Utrum beata Virgo sit vera Mater Christi, tum qua Dei, tum qua hominis? 81

ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo, mediante maternitate Dei, sit vere consanguinea Deo? 83

ARTICULUS IV. — An et quale dominium competat beatæ Virgini, qua Matri, in Filium? 85

ARTICULUS V. — Utrum beata Virgo, per maternitatem Dei, sit Regina totius mundi? 86

QUAESTIO TERTIA

DE BEATA VIRGINE A CHRISTI NATIVITATE USQUE AD PASSIONEM INCLUSIVE

ARTICULUS I. — Utrum beata Virgo debuerit Christum in Templo praesentare et oblatione redimere? 89

ARTICULUS II. — Utrum beata Virgo ex necessitate et obligatione Legis ad Templum purganda venerit? 90

ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo gravissime passa sit tempore Passionis Christi? 92

ARTICULUS IV. — Utrum dolor beatæ Virginis fuerit tantus ut effecerit martyrem? 94

ARTICULUS V. — Utrum Deipara Virgo sit proprie dicta Regina martyrum? 96

ARTICULUS VI. — Utrum beata Virgo possit dici Cooperatrix humanæ redemptionis et Coredemptrix hominum? 98

ARTICULUS VII. — Utrum beata Virgo fuerit facta Mater nostra tempore Passionis dominicæ? 100

PARS TERTIA

DE BEATA VIRGINE

PRO STATU CHRISTUM ASCENDENTEM CONSEQUENTE

QUAESTIO PRIMA

DE MERITO BEATÆ VIRGINIS PER VITAM

ARTICULUS I. — Utrum Maternitas Dei sit radix moralis et causa formalis omnium praerogativarum beatæ Virgini concessarum? 107

ARTICULUS II. — Utrum et quomodo beata Virgo Maternitatem Dei meruerit? 109

ARTICULUS III. — An beata Virgo meruerit semper a principio vitae usque ad ejus terminum? 111

ARTICULUS IV. — Quid beata Virgo nobis meruerit merito de congruo? 114

ARTICULUS V. — Utrum bonum nullum in nos veniat, nisi impetrante Maria? 117

QUAESTIO SECUNDA

DE SACRAMENTIS A BEATA VIRGINE SUSCEPTIS

ARTICULUS I. — Utrum beata Virgo fuerit baptizata? 121

ARTICULUS II. — Utrum beata Virgo receperit sacramentum Confirmationis? 122

ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo quotidie fuerit refecta sacra Eucharistia? 124

ARTICULUS IV. — Utrum beata Virgo sacramentum Ordinis susceperit, aut recipiendi capax fuerit? 125

ARTICULUS V. — Utrum beata Virgo sacramentum Poenitentiae receperit? 126

ARTICULUS VI. — Utrum beata Virgo sacramentum Extremæ Uctionis receperit? 128

ARTICULUS VII. — Utrum beata Virgo verum Matrimonium cum sancto Joseph contraxerit, et ob quasnam causas Matrimonio copulata fuerit? 130

QUAESTIO TERTIA

DE MORTE, RESURRECTIONE ET ASSUMPTIONE
BEATAE VIRGINIS

ARTICULUS I. — Utrum, et quonam genere mortis, beata Virgo mortua fuerit? 133

ARTICULUS II. — Utrum in morte beatae Virginis anima statim assumpta fuerit in coelum? 136

ARTICULUS III. — Utrum corpus Deiparae Virginis fuerit divinitus ab omni corruptione praeservatum? 137

ARTICULUS IV. — Utrum Virgo Deipara fuerit quoad corpus in coelum assumpta? 138

ARTICULUS V. — Ad quantam gloriam beata Virgo fuerit assumpta, et an specialem chorum constituat in coelo? . . . 140

QUAESTIO QUARTA

DE CULTU BEATAE VIRGINI DEBITO, AC DE EJUS
INVOCATIONE

ARTICULUS I. — Utrum beata Virgo sit colenda, et quonam cultu? 143

ARTICULUS II. — Utrum beatae Virginis oratio in coelis sit omnium sanctorum precibus copulative sumptis potentior? 146

ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo possit dici omnipotens in impetrando? 149

ARTICULUS IV. — An verum sit quod non detur aditus ad Deum, nisi per Matrem ejus? 150

ARTICULUS V. — An invocatio beatae Virginis praejudicet Christo Mediatori? 153

ARTICULUS VI. — An in beatae Virginis honorem recte ecclesiae exstruantur, fiantque peregrinationes ad imagines ejus insignes? 155

QUAESTIO QUINTA

DE BENEFICENTIA BEATAE VIRGINIS ERGA HOMINES

ARTICULUS I. — Utrum beata Virgo sit benefica erga omnes homines aequaliter? 159


ARTICULUS II. — Utrum beata Virgo sit benefica etiam erga peccatores? 161

ARTICULUS III. — Utrum beata Virgo sit benefica suis clientibus in iudicio divino? 163

ARTICULUS IV. — Utrum beata Virgo sit benefica clientibus in Purgatorio detentis? 164

TEXTUS MARIANI

E sanctis patribus selecti, ad fiduciam erga Deiparam Virginem excitandam 167




JUANIL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS





UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



U A N

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA
DE QUERÉTARO
SECRETARÍA GENERAL DE INVESTIGACIONES Y BIBLIOTECA

